DE JURE SACRO ET PROFANO CIRCA INFIDELES



John Carter Brown
Library
Brown University

300—

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA,
DE

IVRE
SACRO ET PROFANO
CIRCA
INFIDELES,

QVAM,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO CAROLO,
PRINCIPE PORVSSIAE, MARCHIONE
BRANDENBVRGICO, RELIQVA,
PRAESIDE,
DOMINO
IVSTO HENNINGIO BÖHMERO,
ICT. COM. PALAT. CAES. POTENTISS. REGI PO-
RVSS. A CONSIL. AVL. PROF. IVR. ORDIN.
ET h. t. DECANO,
IN REGIA FRIDERICIANA,
PRO LICENTIA,
SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES CAPESSENDI
D. SEPTEMBR. A. MDCCXVII.
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT,
PAVLVS HENRICVS BVRONER,
AVGVSTANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis IOANNIS GRVNERTI, Acad. Typogr. *Recuſa* 1726.

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA,

DE

IVRE SACRO ET PROFANO CIRCA INFIDELES.

PROLEGOMENA

DE

FATIS INFIDELIVM VARIIS SVB CHRISTIANIS.

§. I.

EX ſtatu, qualitate, fama, aliaue æſtimatione hominum iura admodum variare, adeo planum manifeſtumque eſt, vt extra omnem dubitationem conſtitutum ſit. Hac de cauſa, meo quidem iudicio, circumſpecte & prouide agunt, qui ex circumſtantiis hiſtoricis, aliisque cauſis ea, quæ huc pertinent, eruunt, declarant, & congerunt, vt veras legum cauſas inueſtigare poſſint. *Infidelium* iura euoluere conſtitui: quis vero ignorat, in plurimis hac a Chriſtianorum iuribus eſſe diuerſa, vt vel ipſa *religio* & cum hac coniunctæ circumſtantiæ hoc induxiſſe videantur diſcrimen. Neque hæc ſola illud conſtituit; plures aliæ adfuere cauſæ, quæ imprimis *infideles* ſub Chriſtia-

Status infidelium ex antiquitatibus eruendus, vnde diuerſa eorum iura fluunt.

nis degentes in abiectiſſimam conditionem, & *ſeruilem* quendam *ſtatum* coniecerunt; vnde non potuit non quoque deterrima eorum conditio in foro civili emergere. Atque hoc ipſum eſt, quod, antequam ad ipſorum iurium euolutionem procedam, ex antiquitatibus ea, qua fieri poteſt breuitate, eruere conſtitui.

Fideles quinam dicantur.

§. II. *Fideles* in ſacris dicuntur, qui viuida in Chriſtum fide præditæ ſunt, πιϛέυοντες, *Act. II, 44. IV, 4. 32.* obedientes fidei in Chriſtum facti, *Act. VI, 7.* qui & *ſancti* paſſim vocantur, *Act. IX, 13.* quæ & ſimilia alia prædicata indigitant, ipſam *praxin* ad fidem in Chriſtum acceſſiſſe, quam imprimis primitivi Chriſtiani vrgebant. Poſtquam vero Deus etiam gratia ſua illuminaret gentiles, vt fidei in Chriſtum ſeſe totos darent, audita eſt paſſim appellatio *fidelium ex iudæis* ſeu *circumciſione. Act. X, 45.* & ex *gentilibus* ſeu *præputio præditis*, *Act. XXI, 25.* quibus Deus aperuerat portam fidei, *Act. XIV. 27.* quique ſe ad Deum conuerterant *Act. XV, 19.* qui omnes tandem, & quidem primo Antiochiæ, dicti ſunt CHRISTIANI. *Act. XI, 26.* His opponebantur *infideles*, qui alieni a fide ſalvifica in Chriſtum erant, tam *iudæi Act. XIV, 2. Rom. XV. 31.* quam *gentiles 1. Cor. VI, 6. VII, 12. ſeqq. X, 27. XIV, 24. 2. Cor. IV, 4. 1. Tim. V, 8.* qui omnes *infideles* dicti ſunt; potiſſimum autem iudæi, vtpote quibus primario fides in Chriſtum annunciata & oblata erat, *Rom. XI.* quam cum reſpuerent, gratia hæc divina gentilibus quoque communicata eſt. *Act. XIII, 46.* In ſcriptis patrum tertium genus acceſſit *catechumenorum*. Hi quidem non alieni erant a fide in Chriſtum, ſed *fideles* tamen haud dicebantur, quod prædicatum demum iis tribuebatur, qui baptizati erant, & euchariſtiæ participes. IVSTINVS martyr *Apol. II.* baptizatos vocat *credentes* & *a Chriſtianis aſcitos.* TERTVLLIANVS *de pudic. c. 18.* diſtinguit inter eos qui ante *fidem* & poſt *fidem* h. e. baptiſma lapſi erant, & AMBROSIVS *lib. I. de ſacram. c. 1.* expreſſius ait: *in chriſtiano viro prima eſt fides. Idcirco recte fideles dicuntur, qui baptizati ſunt.* Apud AVGVSTINVM *tr. in Ioann.* catechumeni & *fideles* ſibi opponuntur: *Interroga hominem Chriſtianum, reſpondet tibi; non ſum: adhuc quæris ab eo, catechumenus an fidelis?* Idem diſcri-

(margin notes: fideles ex iudæis & gentilibus; infideles; catechumeni in fideles dicti.)

diſcrimen iam notauerat TERTVLLIANVS *de ſatis. hæret. c. 41. Imprimis quis catechumenus quis fidelis, incertum eſt: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam ethnici ſi ſupervenerint ſanctum canibus & porcis margaritas, licet non veras, iactabunt.*

§. III. Poſtquam eccleſia degenerauerit in regnum politicum & Hierarchiam, latius extenſa eſt appellatio *infidelium*, adeo ut hac ipſa omnes, qui ſunt *extra eccleſiam* conſtituti, h. e. qui ſe ſepararunt ab imperio eccleſiaſtico, & a formula fidei præſcripta receſſerunt, *infideles* generaliori in ſenſu dicti fuerint, quales ſunt hæretici, quippe qui *fidem* non habere dicuntur, & hi non ſunt *in eccleſia* iuxta vulgatum illud: *extra eccleſiam non eſſe ſalutem, fidem, & Spiritum S.* vid. ANTON. RICCIVLLVS *de iur. perſon. extr. eccleſ. gremium exiſt. lib. V. c. 12. n. 8.* PASSERIN. *de pollut. eccleſ. diſp. VIII. c. 20. n. 2.* Non diffitentur tamen Pontificii teſte BASSERINO *cit. l.* proprie *infidelium nomine*, præſertim in iure Canonico venire ſolum *gentiles* & *iudæos*, non autem *hæreticos*, quia baptiſmum receperunt, nec ab omni in Chriſtum fide alieni ſunt, licet in ea *errare* dicantur, imo ſemel dicuntur *ſubditi* facti *eccleſiæ* per indelebilem baptiſmi characterem. Adeo autem IDEM *cit. l. n. 5.* hoc extendit, ut ne quidem eos, qui a fide deſciuerunt, & ad gentiliſmum vel iudaiſmum tranſiuerunt, *infidelium* nomine complecti velit, quod eccleſiæ ſe per baptiſmum dederint, & hi adhuc ſub eius iurisdictione eſſe cenſeantur. Verum hanc ſententiam Pontificiis relinquimus, quippe qui talem eccleſiæ ſtatum haud agnoſcimus, adeoque hos apoſtatas *infidelium* quoque numero accenſemus. Denique etiam paruulos non-baptizatos *infidelium* numero inſerunt, & quidem *negatiue talium*, teſte BASSERINO *cit. l. c. 21. n. 1.* quæ doctrina orta eſt ex patrum traditione, qui Chriſtianos demum *fideles* poſt baptiſmum appellabant, interim tamen Catechumenos minime inter *infideles* collocabant, adeoque & hos hic excludimus.

Infideles poſtea etiam dicti qui ſe ab eccleſia dominante ſepararunt.

Sed magis impropric.

An Apoſtatas infideles ſint.

An paruuli haud baptizati?

§. IV. Facile hinc patet an & quatenus *athei* infidelium numero quoque accenſeri debeant. Hos peiores infidelibus eſſe vel ideo credunt, quod hi adhuc qualecunque numen veneren-

An athei?

rentur & agnoſcant, & aliquem adhuc cultum, licet peruerſum, habeant: illi vero omnem omnino diuini numinis conceptum delere ex animis hominum ſtudeant, & ita quam alieniſſimi a fide in Chriſtum ſint. Quin quod non raro *infideles* cum hæreticis confundantur, ex vitio communi, quo quoſuis diſſentientes ſtatim pro atheis habent, ut ita magis omnem iram atque furorem in eos effundant. Hac de cauſa *conuictos de atheiſmo* etiam huc referendos eſſe cenſeo, quatenus itidem iura ſingularia plura in eos cadunt, quæ illis cum fidelibus non poſſunt eſſe communia. conf. Dn. BVDDEVS *de Atheiſmo cap. II. §. 1.* Illuſtr. THOMAS. *ad Lancelott. Lib. IV. tit. IV. §. 14. not. 219.* vbi & ipſemet confitetur, atheiſmum eſſe *infidelitatis* ſpeciem. Hoc obiter addo, Pontificios magis atheos ad apoſtatas relaturos eſſe, quoniam plerique in eccleſia nati & baptizati eſſe dicuntur & a fide deſciſcunt.

Calamitates Chriſtianorum ſub gentilibus & iudæis.

§. V. His prælibatis propius ad fata & ſtatum *infidelium* h. e. *gentilium* & *iudæorum* accedo, quæ eosdem ſub chriſtianis in abiectiſſimum coniecerunt ſtatum. Generatim ſi id tum dominanti religioni, tum odio vatiniano fidelium in eos adſcripſerim, meo iudicio, non errauero. Ipſi Chriſtiani ſub *gentilium* dominatu eadem, imo grauiora, fata habuerunt, quæ facile eorum animos, poſtea magis erectos, incendere potuerunt, vt par pari referrent. Quantis calamitatibus, odiis & perſecutionibus *fideles* ſub *iudæis* expoſiti fuerint, acta apoſtolorum ſatis docent, quæ mala & odia ne quidem ceſſarunt, vbi diruta Hieroſolyma ipſimet in ſtatum fere ſeruilem coniecti ſunt, vt ne hiſcere quidem potuerint. Grauiorem experti fortunam ſunt ſub *ethnicis* dominatum vbique religionis habentibus, maxime cum ab eorum inſtituto vita & mores chriſtianorum prorſus abhorrerent, & idololatricæ religioni nihil magis proprium & conueniens eſſet, quam ſacra peregrina contemnere, eradicare, eosque odio proſequi, qui illis addicti erant. Inde tot calumniæ & obtrectationes in Chriſtianos ortæ ſunt, vt eo magis omnium odiis exponerentur, quas magno ſtudio collegit CHRISTIAN. KORTHOLT *in pagano obtrectatore.* Inter plures alias calumnias hoc criminis chriſtianis da-

datum eſt, quod doctrina eorum ſtatui reipublicæ minime conueniret; quod chriſtiana fides *incerta, vana*, & maxime *indololatrica*, imo *inceſtuoſa* eſſet; quod non alii huic religioni quam rudes, ſtupidi, barbari, imperiti, ſordidi, inculti, ſtolidique nomen darent: quod *athei* eſſent, inceſtaque conuiuia celebrarent; quod nocturna ſacra & antelucanos cœtus, gentilibus tantopere inuiſos, inſtituerent, & quæ ſunt alia conficta crimina, quæ hic plenius recenſere non vacat. Sufficit inde conſtare, quot quantisque malis fideles ſub dominantibus gentilibus expoſiti fuerint, id quod hiſtoria perſecutionum diriſſimarum ſub imperatoribus ethnicis a KORTHOLTO deſcripta ſatis indicat.

§. VI. Tot tantisque calamitatibus per tria ſecula conquaſſati Chriſtiani tandem ſeculo quarto ad exoptatam, vt putauerunt, pacem, deuenerunt, CONSTANTINO M. ad ſacra eorum accedente, quo ipſo non tantum religio chriſtianorum *tuta & honorata*, ſed etiam paulatim *dominans* facta fuit, vt ait ZIEGLER. *in præfat. tr. de epiſcopis.* Hoc rerum ſtatu magna cultus Chriſtianorum ſacer cepit incrementa, & vndique dilatatus eſt. Id ipſum admodum exacerbauit animos gentilium, iudæosque fere in furorem coniecit, dum illi vltimum diem ſuæ religioni inſtare crederent; hi vero aliis de cauſis Chriſtianorum quieti officere omni ſtudio tentarent, maxime ex *iudicio Zeli*, de quo vid. SELDENVS *lib. VI. de iure nat. & gent. ſecund. diſciplin. chriſtianor. c. 4.* Inprimis hi variis vexabant malis eos, qui relicta ſuperſtitione iudaica ad Chriſtianiſmum tranſirent, teſte EPIPHANIO *hæreſi X.* vel iuxta alios *XXX.*, quod exemplum IOSEPHI, a iudæis peſſime habiti, ſub CONSTANTINO M. declarat. Hac de cauſa CONSTANTINVS in *l. 3. Cod. de iudæis* A. 315. conſtituit: *quod ſi quis poſt hanc legem aliquem, qui eorum feralem fugerit ſectam, & ad Dei cultum reſpexerit, ſaxis* (non *ſatis*, vt vulgata legit) *aut alio furoris genere, quod nunc fieri cognouimus) auſus fuerit attentare, mox flammis dandus eſt, & cum omnibus ſuis participibus, concremandus.* Similiter *anno 336.* noua lege chriſtianos ab iniuria iudæorum vindicauit, ſed pœnam tantum arbitrariam conſtituit.

Scena mutata eſt ſub Conſtantino.

Inde gentilium & iudæorum iræ contra chriſtianos

contra quos lex a Conſtantino lata.

Inde Chriſtiani contra infideles animoſiores facti.

tuit, ceu liquet ex *l. 5. cod. Theod. de iudæis.* Inde animoſiores facti chriſtiani, quibus alta mente repoſta manebat iniuria longo tempore perpeſſa, ad iudæos opprimendos omne attulerunt conſilium, maxime cum publice religio eorum *ſecta feralis* & *nefaria*, *turpitudo* & *peruerſitas* dicta fuerit, vt ex tot *legibus a* GODOFREDO *in paratitl. ad tit. de iudæis Cod. Theod. collectis* liquet, ſimulque inde conſtat, quod ad eorum *nefariam ſectam* accedere & conciliabulis eorum ſe applicare, ſub grauiſſima pœna, prohibitum fuerit. vid. *l. 1. Cod. Theod. in fin. de Iudæis.* Interim CONSTANTINVS adhuc mitius cum iis egit, ac quidem imperatores gentiles, quod variæ leges in eorum fauorem factæ oſtendunt, vt aſſenſum vix mereatur narratio CHRYSOSTOMI relata in *Orat. III. in iudæos tom. I.* in qua contendit, CONSTANTINVM iudæis, Hieroſolymam reſtaurare tentantibus, aures abſcindere iuſſiſſe, eosque tanquam *mancipia* vndique diſperſiſſe, atque ad baptiſmum ſuſcipiendum coegisſe, quam fabulam refellit BASNAGE *dans l' hiſtorie des juifs lib. VIII. c. 4. §. 3.*

& gentilium ſacra cum templis hinc inde euerſa.

§. VII. Durior fere gentilium fortuna fuit, quorum *cultum publicum* idololatricum prorſus abolere, quantum fieri potuit, ſtuduit. Iam *anno 331.* & præcipue *333.* gentilium templa euerſa ſunt; quorundam in vrbibus fanorum veſtibula nudata, valuisque, iuſſu imperatoris, orbata; aliorum tecta corrupta regulis amotis, aureaque ſimulacra abolita ſunt, teſte HIERONYMO *in Chron. ad A. 331.* Idem confirmat THEODORITVS *lib. V. hiſt. eccleſ. cap. 21.* in eo tamen ab HIERONYMO diſcrepans, quod templa eorum nequaquam deſtruxerit. Verba eius hæc ſunt: *Poſt hæc fideliſſimus imperator aduerſus gentilium ſuperſtitionem ſtudium ſuum convertit, legesque ſcripſit, quibus idolorum fana deſtrui iubebat. Nam Conſtantinus quidem M. omni laude digniſſimus, qui primus pietate imperium ornauit, cum orbem terrarum adhuc inſanientem erga ſimulachrorum cultum videret, ne dæmonibus ſacrificaretur omnino interdixerat. Eorum tamen templa nequaquam deſtruxerat, ſed occludi tantum præceperat. Eius quoque filii paternis inſtiterunt veſtigiis. At Iulianus impietatem renouauit, & veтuſti*

tuſti erroris flammam ſuſcitauit. Poſtea Iouianus imperium adeptus ſimulachrorum cultum denuo prohibuit. Valentinianus deinde maior, iisdem vſus legibus Europam gubernauit. Valens vero, aliis quidem omnibus permiſit colere vt vellent, iisque quos colerent, obſeruantiam exhibere. Solis ius, qui apoſtolicam doctrinam tuebantur, bellum inferre nunquam deſtitit. Itaque quam diu ille imperium tenuit, & in aris incendebantur thura: & libamenta ac ſacrificia ſimulachris ſuis offerebant pagani, & publicas epulas in foro celebrabant. Et Bacchi ſacris initati, cum caprinis pellibus curſitabant, canes diſcerpentes, fruentesque & bacchantes, & alia peragentes, quibus magiſtri ipſorum feſtus dies indicatur. Quæ omnia cum fieri reperiſſet fideliſſimus imperator Theodoſius, funditus ſuſtulit, & perpetua obliuione texit. Primus ergo inter alios Epiſcopos Marcellus, vir vndequaque præſtantiſſimus, legis illius præſidio munitus, vrbis quam regendam ſuſceperat, fana deſtruxit, fiducia magis in Deum, quam hominum opera ad eam rem uſus. Vix tamen in dubio ponendum eſſe cenſet SAM. BASNAGE *in annal. eccleſ. ad A. 333.* §. 5. quin ipſa numinum fana euerti iuſſerit, quod teſtimonio EVNAPII confirmat, & præterea pluribus aliis documentis illuſtrat GODOFREDVS *in commentar. ad l. 2. Cod. Theod. de pagan.*

§. VIII. Imperatores, qui Conſtantino ſucceſſerunt, maiori impetu rem aggreſſi ſunt ad eradicandam ſuperſtitionem gentilium. Nam *A. 341.* CONSTANS hanc tulit legem: *Ceſſet ſuperſtitio: ſacrificiorum aboleatur inſania. Nam quicunque contra legem diui principis parentis noſtri, & hanc noſtræ manſuetudinis iuſſionem auſus fuerit ſacrificia celebrare, competens in eum vindicta & præſens ſententia exeratur,* vid. *l. 2. cod. Theod. de pagan.* Potiſſimum tamen occupatus fuit in templis gentilibus *vrbium* euertendis. Extra oppida & ciuitates in *agris*, in *itinere*, templa frequentiſſima erant, quæ dirui prohibuit in *l. 3. cod. Theod. de pagan.* aiens: *quamquam omnis ſuperſtitio penitus eruenda ſit, tamen volumus, vt ædes templorum, quæ extra muros ſunt poſitæ, intactæ incorruptæque conſiſtant. Nam cum ex nonnullis vel ludorum vel circenſium, vel*

Ad Conſtantinum maiori cum feruore ſacra gentilium euerſa ſunt

ſaluis ſacris in agris.

vel agonum origo fuerit exorta, non conuenit ea conuelli, ex quibus populo Romano præbeatur priſcarum ſolennitas voluptatum. Anno 353. CONSTANTIVS (non CONSTANTINVS vt *vulgata lectio in l. 1. cod. de pagan.* habet, vid. GODOFRED. *ad l. 4. cod. Theodoſ. de pagan.*) paulo generalius omnem cultum idololatricum prorſus tollere curauit his verbis: *Placuit omnibus locis atque vrbibus vniuerſis claudi protinus templa, & acceſſu verito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Voluimus etiam cunctos ſacrificiis abſtinere. Quod ſi aliquid forte huiusmodi perpetrauerint, gladio vltore ſternantur, facultates etiam peremti fiſco decernimus vindicari, & ſimiliter puniri rectores prouinciarum, ſi facinora vindicare neglexerint.* Eodem anno quoque *ſacrificia nocturna* abolere curauit, iuxta *l. 5. Cod. Theodoſ. de pagan.* & anno ſequenti pœnam capitis conſtituit in eos, quos operam ſacrificiis dare, vel colere ſimulachra conſtiterit, iuxta *l. 6. Cod. Theodoſ. de pagan.* His legibus tamen ſuperſtitio gentilium prorſus aboleri non potuit, maxime cum in *agris* non omnino cultus gentilium ceſſaret, & hinc inde hi diis ſuis ſupplicarent, vt de IVLIANO teſtatur AMMIAN. MARCELLINVS *Lib. XVI. c. 6.*

Inde gentiles dicti pagani.

§. IX. Inde forſan occaſio nata eſt, gentilibus nomen paganorum tribuendi. Non antiquam, ſed recentem eam vocis ſignificationem eſſe fatetur SAM. PITISCVS *in lexico antiquit. Romanar. voce paganus*, confirmatque GODOFREDVS *in not. ad tit. Cod. Theod. de pagan.* oſtendens ſub Chriſtianis imperatoribus appellationem hanc *paganorum* demum cepiſſe, eiusque nominis initia in A. 365. incidere. Quare patres placitum anteceſſorum, qui gentiles *infideles* vocabant, repudiauerint, & cur nomen *paganorum* ei prætulerint, disquirit CONR. RITTERSHVS. *in commentar. ad Saluian. lib. VI. de gubern. Dei.* Ipſe MATTHIÆ BERGII ſententiam recenſet, exiſtimantis in relinquendo nomine *infidelium* id videri ſecutos patres, quod atrocioris eſt in Latina lingua ſignificationis nomen *infidelium. Quocirca,* pergit, *poterant ab illius vſu Chriſtiani apud imperatores traduci ceu maledici, criminatores magiſtratuum, & aliorum omnium, qui non eſſent ex ipſorum cœtu, cum illos vocarent infideles*

Variæ de hac appellatione ſententiæ examinantur.

fideles

fideles velut iniuria ciuili eos afficientes. Quod autem paganos eosdem dixerunt, ideo factum puto, quia illud vocabulum mitius erat Romanis auribus, certe ſcelere carebat ciuili: neque proinde magnopere offendi poterant viri politici non chriſtiani, cum ſic a chriſtianis vocabantur, quaſi a militia Chriſti alieni, & eam defugientes. Verum hæc ſententia per errorem ſupponit, ſub imperatoribus gentilibus chriſtianos hoc nomen iam vſurpaſſe, quod antiquitati repugnat. Præterea admodum improbabile eſt, *paganos*, in ſenſu ciuili eos ideo dictos fuiſſe, quod a *militia chriſtianorum ſacra* alieni eſſent. Equidem negari nequit, eos, qui non militabant, *paganos* Romanis dictos fuiſſe: aſt religionis certæ culturam eo tempore quoque *militiam* dictam fuiſſe, non conſtat; alioquin etiam gentiles eodem ſenſu Chriſtianos *paganos* appellare potuiſſent. Aliorum opiniones varias recenſet GODOFREDVS *cit. l.* quas hic non reguſtabo. Verior ſine dubio ratio appellationis deſumenda eſt a *ſacris paganalibus*, quæ circa hæc tempora in *pagis* & *ruri* adhuc durabant, ſacrificiis per vrbes iam iam fere deletis. De inſtituto horum ſacrorum DIONYS. HALICARNASSEVS *lib. IV.* hæc refert: *Vt etiam ruſticanæ multitudinis facilius iniri poſſet numerus, per ſingulos pagos aras iuſſit Seruius Tullius dedicari diis tutelaribus, quotannisque ibi conuentum fieri, & ſacrificium, feſtum hoc cumprimis religioſum conſtituens vocatum Paganalia, ſimulque eorum ſacrorum ritus, qui nunc quoque ſeruantur, conſcripſit. Ad id ſacrificium eumque conuentum omnes paganos iuſſit in ſingula capita conferre certum numiſmatis genus, ſed aliud viros, aliud mulieres, aliud puberes: quibus connumeratis per ſacrorum præſides apparebat hominum numerus per ætates ac ſexus diſtinctus.* Hæc ipſa relicta erant gentilibus conſtitutione CONSTANTIS, vt *ſupra* obſeruaui, & pro his conſeruandis admodum ſoliciti fuerunt, vt vel *ex* LIBANII *oratione*, quam *pro templis* habuit, & a GODOFREDO edita eſt, liquet. Quia itaque aliquamdiu gentilibus ſua pagorum ſuperſtitio relicta fuit, inde *pagani* dicti ſunt, & ipſa religio gentilium *paganæ ſuperſtitutionis* nomen accepit. vid. *l. 20. cod. Theod. de pagan.*

Sed Iuliano infidelium religio reſpirare cœpit.

§. X. Non diu ſtetit hæc chriſtianorum pax & tranquilitas. IVLIANVS ad imperium admotus ſtudium perſequendi iudæos & gentiles magnopere impediuit, qui id vnice egit, vt fana euerſa gentilium reficerentur, & publica ſacra gentilia in omnibus imperii partibus reuocarentur, Chriſtiani vero variis ſubiicerentur perſecutionibus, quos adeo odio habebat, vt *iudæos* maiore fauore dignos putaret. Iudæi & gentiles inde ferociores facti par pari Chriſtianis referre omni nitebantur ope, templa eorum incendebant, ſacra turbabant, & quouis modo eos affligebant. AMBROSIVS *ep. 28. ad* THEODOSIVM ſcribens, illius temporis mala ita depingit; *At certe ſi iure gentium agerem, dicerem, quantas eccleſiæ baſilicas iudæi tempore imperii Iuliani incenderint: duas Damaſci, quarum vna vix reparata eſt, ſed eccleſiæ non Synagogæ impendiis; altera baſilica informibus horret ruinis. Incenſæ ſunt baſilicæ Gazis, Aſcalone, Berythi, & illis fere locis omnibus, & vindictas nemo quæſiuit. Incenſa eſt baſilica & Alexandriæ a gentilibus & a iudæis, quæ ſola præſtabat ceteris.* Gentiles ipſis chriſtianis obiiciebant, quod florentibus rebus diſſentientes opprimere, & quauis ratione vexare ſtuduerint. Negat id ipſum GREGORIVS Nazianzenus in *orat.* III. ſed vix negare id potuit. Ait equidem: *Nos quibusdam temporibus potentia floruimus, vos etiam quibusdam. Quid tandem ſimile veſtri a Chriſtianis perpeſſi ſunt, qualia ſæpe numero chriſtiani a vobis pertulerunt? Quam libertatem vobis eripuimus? in quos plebem furentem concitauimus? in quos præſides plura etiam quam ipſis imperatum eſſet, exequentes? quibus vitæ periculum creauimus? imo quosnam præturis, aliisue honoribus, qui præſtantiſſimis quibusque viris debentur, ſubmouimus? atque vt ſummatim dicam, eccui aliquid ſimile intulimus, qualia multa a vobis patrata partim denunciati ſunt?* In re ipſa forſan non erat differentia, quamuis in *modo* quodammodo; neque enim ad eum gradum *ſæuitiæ* Chriſtiani, florentibus rebus, peruenerant, in quo pagani ſæuiebant, prout etiam obſeruat CLERICVS *dans la bibliotheq. vniuerſ. tom. VIII. p. 44.* Interim

& infideles Chriſtianis par pari retulere

vbi notabilis Gregorii inuectiua in Iulianum.

rim miror GREGORIVM libertatem gentilibus non fuiſſe ademtam, negare potuiſſe, cum tamen ſub *pœna mortis* ſacrificia iis eſſent interdicta. Sane vel ex GREGORII inuectiuis liquet, quanta audacia epiſcopi cum imperatoribus egerint, quibus tamen, vtut tyrannis, veneratio ſumma debebatur, cuius prorſus GREGORIVS immemor eſt. Adeo atris coloribus IVLIANVM depingit, vt cauſæ chriſtianorum oppreſſæ parum profuerit. Pro more magnopere BARONIVS *ad ann. 363. n. 77. ſeqq.* extollit hanc fandi libertatem in GREGORIO, qua ſe *horrendo monſtro*, vt ait, oppoſuit, quod quo conſilio dixerit, facile quilibet animaduertit.

§. XI. Dedit vero mox Deus his quoque Chriſtianorum malis finem. Sublato e medio IVLIANO, chriſtiani rurſus animos ſumſerunt, & opus, quod ante Iuliani imperium inchoauerant, exædificare ſtuduerunt. Ipſe GREGORIVS Nazianzenus facile intellexit, mortem IVLIANI gentilium ſacris interitum allaturam eſſe. Inde in *orat.* IV. miſerium ethnicorum ſtatum deflet, ſimulque exhortatur Chriſtianos, vt cum lenitate maiori eos tractent, nec fortuna ſua proſpera abutentes id gentilibus mali inferant, quod in gentilibus reprobarunt, quod monitum admodum ſanum piumque erat. Nihilominus tamen admodum extollit, quod iam ſtatuæ deorum tanto cum feruore euerſæ fuerint, quibus ante paucos dies cultus ſacer adhuc præſtitus. Recte vero de hac metamorphoſi CLERICVS *in biblioth. vniuerſ. tom.* XVIII. *p. 54.* ita iudicat: *Mais ceux qui demeuroient dans le paganiſme, etoient ſans doute extremement choquez de la maniere, dont on traitoit les ſtatuës de leurs Dieux; & ne pouuoient regarder les Chretiens, comme des gens moderez. Car enfin ces ſtatuës leur étoient auſſi cheres, que ce que les Chretiens ont de plus ſacré. D' allieurs ceux qui changeoient de religion, comme d' Empereur, & qui deuenoient ſi ſubitement ennemis des Dieux, qu'ils auoient adorez toute leur vie, deuoient étre fort ſuſpects.* Vt vt vero IOVIANVS audaciam iudæorum paululum repreſſerit, morte tamen eius mox ſecuta facies rerum rurſus mutata, & ſub VALENTE

Mortuo Iuliano Chriſtiani animos ſumſere.

& rurſus ſacris gentilium vis illata

ſed impetus hic paululum ſub Valentiano ſedatus

VALENTE *libertas religionum* plena reſtituta, & a VALENTINIANO confirmata. *Teſtes ſunt leges*, ait, in *l. 9. C. Theod. de maleſ. & mathem. a me in exordio imperii mei datæ, quibus vnicuique, quod animo imbibiſſet, colendi libera facultas tributa eſt.* AMMIANVS MARCELLINVS *lib. XXX. c. 30.* id ipſum confirmat his verbis: *hoc moderamine principatus inclaruit, quod inter religionum diuerſitates medius ſtetit, nec quemquam inquietauit, neque ut hoc coleretur imperauit aut illud: nec interdictis minacibus ſubiectorum ceruicem ad id, quod ipſe coluit, inclinabat, ſed intemeratas reliquit has partes vt reperit.* Idem confirmat verba THEODORETI §. VII. adducta, quæ illuſtrat ANTON. van DALE *de oracul. diſſ. II. c. 6. p. 528.* vbi oſtendit VALENTINIANVM aut *voluntate* aut *poteſtate* defectum, aut *metu rationibusue* aliis *politicis* deterritum non eo fuiſſe prouectum, vt cum aliquo vigore publicum ethnicorum oppreſſerit cultum. Sed tandem etiam ipſemet imperator, eccleſiaſticorum ſuggeſtionibus ſuperatus, oppreſſioni gentilium ſtudere cœpit, de quo adferam iudicium CLERICI *tom. XI. biblioth. choiſ. p. 258. Si ce bon Empereur ne continua pas ſur ce pied-là, iusqu'a la fin, ce fut aparemment par les importunitez des Eccleſiaſtiques; qui viuant des certaines opinions des peuples, & s'entetetant de faire regner leur ſeuls ſentiments, ne pouvoient ſouffrir, que l'on traitat humainement ceux, qui étoient d'une autre religion; & importunoient ſi fort les empereurs, qu'enfin il falloit perſecuter les Payens & les heretiques pour avoir quelque repos. C'eſt a dire, qu'il failloit deshonorer la religion Chretienne, pour contenter ceux qui pretendoient en étre les uniques ſoutiens.*

[Margin: quamuis hæc pax gentilibus parum profuerit.]

In occidente eodem tempore GRATIANVS in fanis paganorum diruendis operam rurſus dedit, & imprimis Gracchus præfectus vrbis, qui *anno 376.* fana profana deſtruxit, eo nomine laudatur ab HIERONYMO in *epiſt. VII. ad Laetam: ante annos paucos propinquus veſter Gracchus nobilitatem patriciam ſonans nomine cum præfecturam gereret vrbanam, nonne ſpecum Mithræ & omnia portentuoſa ſimulacra, quibus Lorax, Niphus, Miles, Leo, Perſes, Helias,*

[Margin: In occidente Gratianus cultum gentilium euertere ſtuduit.]

Bromius

Bromius. Pator initiantur, ſubuertit, fregit, exuſſit, & his quaſi obſidibus ante præmiſſis impetrauit baptiſmum. De hoc facto ita canit PRVDENTIVS *lib. I. aduerſ. Symmachum:*

Iam quid poplicolas percurram carmine Gracchos
Iure poteſtatis fultos, & in arce Senatus
Præcipuos, ſimulachra Deum iuſſiſſe reuelli.

Hæc bella domeſtica cum gentilibus quotidie aucta, res eorum adeo attriuere, vt tandem ſuccumbere debuerint, & in abiectiſſimum ſtatum deducti fuerint.

§. XII. Videlicet non tantum *aut oritate publica* ſacra paganica ſunt prohibita, & templa paſſim euerſa, ſed, quod intolerabilius fuit, plebis audacia, monachorum ut plurimum inſtinctu, in tantum proceſſit, vt paganorum templa impune delerent, & ſynagogas iudæorum incenderent, bellum quaſi quotidianum cum infidelibus intuitu ſacrorum gerentes. Ipſe HIERONYMVS in *præfat. lib. II. commentar. in epiſt. ad Galat.* memorat, magno populi impetu idolorum templa quati conſueuiſſe. Ad hunc impetum præcauendum coacti ſunt gentiles, ingenti ſoluta pecunia, cuſtodiam Chriſtianorum templis ſuis apponere, quod tamen, ne in poſterum fieret VALENTINIANVS & VALENS lege lata cauerunt: *Quisquis ſeu iudex ſeu apparitor ad cuſtodiam templorum homines chriſtianæ religionis appoſuerit, ſciat non ſaluti ſuæ, non fortunis eſſe parcendum.* vid. BARONIVS in *annal. ad ann. 365. n. 42.* Hac de cauſa plebs ferocior facta ab impetu in templa gentilium faciendo non deſtitit. Ipſe quidem THEODOSIVS M., teſte ZOSIMO *lib. V. hiſtor.* in vrbe templa deſtrui non mandauit, ſed tantum ad ſacrificia publica publicos ſumtus denegauit, & ita *per indirectum* cultum idololatricum in *vrbe* imminuit, vt plenius VON DALE *cit. l. p. 534.* declarat, & ſubinde idem de Ægypti fatis *p. 538.* docet. Plebis impetus in templa & ſacra gentilium longe grauior fuit. Hæc per prouincias orientis in vrbibus nonnullis, & per agros potiſſimum, templa magnificentiſſima, non vllo quidem imperatoris mandato, verum monachorum tantum zelo, conniuentibus ad hæc, imo conſentientibus

Populus priuato auſu contra Synagogas & templa gentilium ſæuiit

adhuc ſub Theodoſio M.

tibus Epiſcopis, ſolo æquauit. Igitur LIBANIVS gentilis & orator Antiochenus, hac templorum ſtrage excitatus, ad THEODOSIVM imperatorem *orationem pro templis*, a IAC. GODOFREDO *anno 1634.* primo editam, habuit, oſtenſurus in ſumma, perſuaſurusque, templa gentilium dirui non oportere, ut GODOFREDVS *in argumento orationis* oſtendit. Inter alia *pag. 10.* & *11.* de monachorum auſu ita loquitur: *Tu igitur neque templa occludi, neque vllum aditu arceri iusſiſti, neque ignem, neque turificationem, neque alios fumigationum honores templis arisque eieciſti. At enim pullati hi, pluraque elephantis comedentes, negotium vero faceſſentes multitudine potus his qui in cantus vicem iis potus mittunt, occultantes vero hæc pallore, per artem ipſis quæſito, manente, o Imperator, atque obtinente lege tua, currunt ad templa, ligna ferentes & lapides & ferrum: pars vero ſine his, manus, & pedes: Inde Myſorum præda, deiectis tectis, dirutis muris, deturbatis ſimulacris, exciſis aris: Sacerdotes vero vel tacere oportet, vel mori: primisque deiectis, curritur ad ſecunda tertiaque, & tropæa tropæis legi aduerſa cumulantur. Idque patratur quidem etiam in vrbibus, vt plurimum vero in agris, multique in ſingulis hoſtes: poſt innumera vero mala diſperſi hi rurſum colliguntur, rationemque factorum inuicem depoſcunt, pudorique eſt, niſi maxima mala quis patrarit.* Porro *p. 12.* damnum oſtendit, quod templis ruricolarum bellum inferant, & *pag. 14.* ita pergit: *Enimuero quid hoc aliud eſt, quam in pace bello agricolas infeſtare? Neque enim damna ideo minora ipſis exiſtunt, quod malo afficiantur a domeſticis: niſi quod & grauius eſt, quos iure rebus turbidis auxiliares habere debebant, ab his pacatis rebus ea pati quæ diximus: At enim, o Imperator, cum hoſtile aliquid tibi innoteſcit, militem colligis, armaque paras, & cum ducibus conſilium confers, & hos quidem emittis, quibus neceſſe eſt, his vero reſcribis ad ea, de quibus conſulunt. Hæc vero noua mœnia, æſtiuique labores, quid ſibi volunt hæc omnia, & quonam ſpectant? & quid conducunt vrbibus agrisque? Securam videlicet vti ducant vitam, altumque dormiant, neque bellico tumultu turbentur, verum*

quod ex Libanii oratione pro templis habita illuſtratur.

rum

rum vti bene norint omnes, quod ſi quis forte irruat, accepto potius damno, quam illata iniuria diſceſſurus ſit. Cum igitur tua extrinſecus bella ceſſent, quomodo quidam ſub te poſiti in alios ſub te conſtitutos feruntur, communibus bonis eos frui haud ſinentes? Quomodo non tuam prouidentiam & curas & labores iniuria afficiunt, o Imperator? quomodo non & per ea, quæ faciunt, tuæ quoque voluntati bellum inferunt? In ſequentibus reſpondet ad obiectiones monachorum & plebis Chriſtianæ, easque diluere intendit; præterea *pag. 30.* rurſus exaggerat audaciam plebis, inquiens: *Verum ad hos redeo, iniuſtitiæ eorum probationem ex dictis nunc facturus. Age quare dicitis magnum hoc templum deſtructum? non quia ita Imperatori viſum: recte: non igitur deſtruentes, iniuria fecerunt, faciendo quæ Imperatori non probantur: & quisquis facit, quæ Imperatori viſa non ſunt, non is peccat? Nonne? Vos vero hi eſtis, quibus nil tale dicere licet pro iis, quæ feciſtis. Dic mihi quare hoc Fortunæ templum ſaluum eſt & Iouis, & Mineruæ, & Bacchi? An quia volebatis hæc manere? non: ſed quia nullus in ea ius vobis dedit, quod tamen vobis ſumſiſtis circa ea, quæ excidiſtis. Quomodo igitur non pœnæ obnoxii ſitis? aut quomodo quæ feciſtis, iure facta dicitis, cum ea, quæ paſſa ſunt, nihil admiſerint? Quod vtique ſpeciem aliquam haberet, ſi Tu Imperator edixiſſes; Nemo ſub me conſtitutus Deos putet, neque colat, neque quidquam ab his boni poſtulet, neque ſibi, neque liberis, niſi clam & latenter; omnes vero ſiſtant ſe eo loci, quem ipſe colo, & pergant communicaturi iis, quæ ibi ſunt, easdemque preces quas illi faciant, & caput ſuum ſubmittant eius manui, qui turbam temperat, inobedientem vero mori omnino continget. Hæc quidem edicere tibi procliue erat, at non edixiſti, neque hanc in partem hominum animis iugum impoſuiſti: enimuero illud quidem iſto melius exiſtimas, at non ideo iſtud impium, quodque iure multetur. Sed neque tales (homines) ab honoribus ſubmouiſti, quin & Magiſtratus contuliſti, & conuiuas feciſti. Idque & multoties antea feciſti, & nunc præter alios tibi ſociaſti (conducere id Imperio cenſens) virum per Deos iurantem, tum apud alios, tum*

tum apud te quoque, neque ſuccenſes, neque iniuria affici huiusmodi iureiurando putas, neque omnino malum eſſe, meliores ſpes in Diis habentem. Cum igitur Tu nos non abigas, quemadmodum neque ille, qui Perſas armis fugauit, quomodo ſubditos aliter hanc in partem quam ipſi ſentientes fugant iſti? quo iure irruptiones has faciunt? qua ratione aliena contrectant, cum ira agrorum? Quomodo hæc quidem deſtruunt, illa vero, tollentes auferunt: iniuriæ factorum, & hanc iniuriam addentes, quod factis glorientur? Nos quidem, o Imperator, hæc & laudante & probante te feremus: oſtendemusque, etſi non ſine dolore, obſequi nos edoctos. Si vero neque tu poteſtatem feceris, hi vero audebunt vel in reculas noſtras, vel in mœnia inſurgere, noris, agrorum dominos & ſibi & Legi opitulaturos.

Ipſe Chryſoſtomus quoque in exſtirpandis ſacris gentilium occupatus fuit.

§. XIII. Singularis quoque CHRYSOSTOMI ſolicitudo pro cultu Ethnicorum extirpando fuit, adeo, vt ad templa eorum diruenda manum adiutricem attuliſſe dicatur. Laudat eius certamina magnopere BARONIVS *in annal. ad ann.386. n.54.* ex actis eius antiquitus ſcriptis: *Liceat videre in vniuerſa regione ciuitatis domos quidem oratorias Deo excitari, templa autem ſimulacrorum, ſi quæ remanſerant, diruta funditus in terram proſterni.* Poſt pauca hæc adduntur *n.55: Quæ autem in Caſio monte in templo, quod illic erat gentilium (& quidem celeberrimum, ore ſcriptorum pene omnium celebratum templum Iouis Caſii) ab illo viro facta ſunt: quis eſt adeo inuidus, aut negligens, aut deſes, vt ea ſuſtineat prætermittere? Quo in loco cum tantus error prius eſſet diffuſus, & multitudo quidem aſſidue veniret innumerabilis, fieret innumerabilis, fieret autem immenſum animalium ſacrificium propter cultum, proh dolor, dæmonum: perierunt illa omnia & extincta ſunt zelo illius magnæ, & quæ a Deo monebatur, animæ. Neque hæc ſunt digna, quæ mandentur ſilentio, quæ facta ſunt in faſtigio ciuitatis in templo Veneris, & quod non ſolum ſtuduerit, vt id dirueretur, ſed etiam vt in eo loco viri ſancti habitarent, terribiles iis, qui eo ſubibant dæmonibus: adeo vt illi quidem procul expulſi fuerint, tan-*

quam

quam armis quibusdam terribilibus intentatis eorum virorum precibus: homines autem, qui circum circa habitabant, non ſolum a læſione illorum liberarentur, ſed etiam maximam acciperent vtilitatem, cum poſſent verſari cum monachis; qui perfecti erant in Dei timore. Illius mentis & ſtudii etiam eſt opus, profani templi deſtructio, quod fuit in arce Beli, & ad ſolum vsque facto eius demolitio.

§. XIV. Nec minor AMBROSII Zelus in ſynagogis iudæorum euertendis erat, quod vel exuſtio ſynagogæ ad ſuggeſtionem cuiusdam Epiſcopi, cuius defenſionem ſuſcepit, demonſtrat. Equidem, VT PAVLINVS *in vita Ambroſii* refert, THEODOSIVS, relatione de hoc incendio ad ſe facta, præceperat, vt ſynagoga ab Epiſcopo reædificaretur; verum cum huius præcepti tenor ad aures AMBROSII delatus fuiſſet, epiſtola ad Imperatorem data interceſſit, ne tale quid fieret. Magna ſane libertate, ne quid amplius dicam, ad Imperatorem ſcribit, factumque quouis modo in *epiſt. 29.* non tantum approbat, ſed etiam laudat, imo libertatem, qua vtitur, admodum neceſſariam eſſe docet. Poſt hæc pergit: *cauſam ergo Dei tacebo? Quid igitur ſit, quod metuam, conſideremus. Relatum eſt a Comite orientis militarium partium, incenſam eſſe ſynagogam, idque auctore factum Epiſcopo. Iuſſiſti vindicari in cæteros, ſynagogam ab ipſo ædificari Epiſcopo. Non aſtruo, expectandam fuiſſe aſſertionem Epiſcopi: Sacerdotes enim turbarum moderatores ſunt, ſtudioſi pacis, niſi cum & ipſi mouentur iniuria Dei, aut eccleſiæ contumelia. Sit aliquis iſte Epiſcopus feruentior in exuſtione ſynagogæ, timidior in iudicio: Non vereris, Imperator, ne acquieſcat ſententiæ tuæ, ne præuaricetur non times? Non etiam vereris, quod futurum eſt, ne verbis reſiſtat Comiti tuo? neceſſe erit igitur, vt aut præuaricatorem, aut martyrem faciat: vtrumque alienum temporibus tuis, vtrumque perſecutionis inſtar, ſi aut præuaricari cogatur, aut ſubire martyrium. Vides quo inclinet cauſæ exitus. Si fortem Epiſcopum putas, caueto martyrium fortioris: ſi inconſtantem, declina lapſum fragilioris: plus enim aſtringitur, qui labi infirmum coegerit.*

Nec minor Ambroſii Zelus in Synagogis iudæorum euertendis

gerit. Hac poſita conditione, puto dicturum Epiſcopum, quod ipſe ignes ſparſerit, turbas compulerit, populos concluſerit, ne amittat occaſionem martyrii, & pro inualidis ſubiiciat validiorem. O beatum medacium, quo acquiritur ſibi aliorum abſolutio ſui gratia. Vt vero eo magis omnem culpam ab Epiſcopo, cuius autoritate hæc incenſio facta erat, remoueret, hæc addit: *Hoc eſt, Imperator, quod popoſci & ego, vt in me magis vindicares, & hoc ſi crimen putares, mihi adſcriberes. Quid mandas in abſentes iudicium? habes præſentem, habes confitentem reum. Proclamo, quod ego ſynagogam incenderim: certe quod ego illis mandauerim, ne eſſet locus, in quo Chriſtus negaretur. Si obiiciatur mihi, cur hic non incenderim? diuino iam cremari cœpit iudicio: meum ceſſauit opus. Et ſi verum quæritur, ideo ſegnior fui, quia non putabam hoc vindicandum. Quid facerem quod nullo vltore ſine præmio foret? Tangunt hæc verecundiam, ſed non reuocant gratiam, ne fiat opus, quo Dei ſummi contrahatur offenſio. Eſto tamen, nemo Epiſcoporum ad hoc munus conueniat. Rogaui enim clementiam tuam; & licet ipſe hoc reuocatum adhuc non legerim, reuocatum tamen conſtituamus. Quid ſi alii timidiores, dum mortem reformidant, offerant, vt de ſuis facultatibus reparetur ſynagoga? aut Comes vbi hoc compererit primo conſtitutum, ipſe de Chriſtianorum cenſu exædificari iubeat. Habebis, Imperator, Comitem præuaricatorem, & huic vexilla committes victricia, huic Labarum, hoc eſt Chriſti ſacratum nomine, qui ſynagogam inſtauret, quæ Chriſtum neſciat? Iube Labarum ſynagogæ inferri; videamus ſi non reſiſtunt. Erit igitur locus iudæorum perfidiæ, factus de exuuiis eccleſiæ: & patrimonium, quod fauore Chriſti acquiſitum eſt Chriſtianis, hoc transferetur ad donaria perfidorum? Legimus, templa idolis antiquitus condita de manubiis Cimbrorum, de ſpoliis reliquorum hoſtium. Hunc titulum iudæi in fronte ſynagogæ ſuæ ſcribent: Templum impietatis factum de manubiis Chriſtianorum.* conf. BASNAGE *dans l'hiſtoire des juifs Lib. IIX. c. 5. §. 16. & ſeqq.* vbi de intempeſtiuo AMBROSII calore elegans fert iudicium.

adeo vt etiam verecundiam erga imperatorem depoſuiſſe videatur.

§. XV.

§. XV. Generatim de populi violentia, qua erga iudæos vſi ſunt, ita iudicat prælaudatus BASNAGE *cit. loc. c. 6. §. 3. p. 196. ſeqq. Ceux qui profeſſent la religion regnante, ſe croient tout permis. Ils ſe perſuadent, qu'ils ſignalent leur Zele à proportion des violences qu'ils exercent, & dans cette penſée ils ne donnent point des bornes à leur paſſion. Il eſt toujours de la prudence des Rois, de reprimer ces excés, & de nourrir la tranquillité publique en puniſſant un Zele cruel. Mais, on ne le fait pas ſouvent, & ceux, qui convaincus de la neceſſité de le faire, l'entreprennent, n'y reüiſſent pas touiours. Ils rendent ſouvent leur religion ſuſpecte; ils s'expoſent aux railleries des peuples; ils attirent la haine des pretres, & les ſoulevent contre eux. Cependant, un Prince ne doit point, ſe laiſſer entrainer à des mouvemens fougueux, ni ſe mettre à la tête d'un peuple, qui ne reſpire que la ſedition. Mais, où ſont ceux, qui aient cet amour pour la iuſtice? Les Chrétiens, ſous l'empire de Theodoſe, abbatirent les ſynagogues, ſans en avoir d'autre raiſon, que la haine, dont ils etoient animez contre cette religion. Vn particulier ſe trouvoit offensé par un juif. Il faiſoit auſſitot entrer la populace dans ſes interets. On couroit en foule à la ſynagogue, & on la mettoit en feu. On les fit pluſieurs fois dans la Macedoine, & l'Empereur fut obligé de repreſenter à ſes ſujets qu'il n'etoit pas permis à des particuliers, de ſe faire iuſtice, qu'il y auoit des tribunaux etablis pour écouter leur griefs, & pour iuger de leurs plaintes, & il ordonna aux iuges de ce paiſla, d'y tenir la main. Les Eccleſiaſtiques accoutimez à profiter du deſordre, ſe joignoient au peuple. Ceux d'Antioche, où les juifs étoient nombreux & riches, pillerent la Synagogue, & conſacrerent à Dieu & à l'egliſe ce qu'on avoit pillé. On croyoit ſanctifier le vol, en donnant à Dieu, ce que le particulier n'auroit oſé s'approprier, ſans s'expoſer au ſupplice. On ſe plaignit d'une conduite ſi ſcandaleuſe, & les plaintes étoient ſi iuſtes, qu'elles furent appuiées par le Prefet du Pretoire, qui avoit informé*

Iudicium de populi violentia erga infideles

informé du deſordre & de raiſons, qui l'avoient produit; & Theodoſe condamna le Clergé à reſtituer ce qu'il avoit pris, ou la valeur, & ordonna, qu'on leur aſſignat un lieu, pour rebatir un temple. L'arret étoit equitable, puis que les Juifs vivoient dans l'Empire ſur la bonne-foy des Edits. Cependant, il ne le parut pas à Simoneon le Stylite, qui vivoit alors, & qui prit violemment le parti du Clergé & des mutins d'Antioche. Il écriuit ſi fortement en leur faveur à Theodoſe, que non ſeulement il revoqua les ordres, qu'il avoit donnez; mais, il caſſa le Prefet du Pretoire, qui lui avoit conſeillé de punir les voleurs.

Inde ſeditiones ciuiles ortæ.

§. XVI. Ex his bellis, quæ templis gentilium inferebantur, ſeditiones & motus ciuiles ortos fuiſſe, facile coniici poteſt. Grauis imprimis ſtrages contigit circa *A. 391.* in euerſione Serapii, nobilis ethnicorum apud Alexandriam templi, quod *teſte* SOCRATE *lib. V. cap. 16.* ad inſtantiam THEOPHILI Epiſcopi iuſſu imperatoris deſtructum, ſimulque ſacra gentilium publica contumelia expoſita ſunt. Theophilum hunc auctorem totius comœdiæ fuiſſe, docet SOZIMVS *lib. V. hiſtor.* his verbis: *In hoc quidem tempore, poſt Ioannis aliorumque reditum, palam infeſto in eum animo eſſe cepit. Cumque cuncta ex animi libidine gereret, omnium locorum Epiſcopos ad deiiciendum loco ſuo Ioannem concitat: Inter quos primus & ſummus erat Alexandrinæ vrbis in Ægypto antiſtes Theophilus, qui primus ſacra, patriosque ritus æternos oppugnare cœpit.* Seriem totius rei ſpecialius SOCRATES his enarrat verbis: *Hanc poteſtatem nactus* THEOPHILVS, *nihil prætermiſit, quo gentilium myſteria contumelia afficeret. Ac Mithræ quidem Spelæum repurgauit: Serapium vero ſubuertit. Et cruenta quidem Mithræ ſacra publice ſpectanda propoſuit: Serapidis vero & aliorum deorum myſteria, quam ridicula eſſent, oſtendit, phallos per medium forum ſublimes circumferri iubens. Quæ cum fieri cernerent gentiles, qui Alexandriæ degebant, iique præſertim, qui philoſophiam profitebantur, dolorem ſuum comprimere haud quaquam potuerunt: ſed tragicis facinoribus, quæ olim perpetrauerant*

multa grauiora adiecerunt. Etenim ſigno dato, omnes ſimul uno impetu in Chriſtianos irruentes, obuium quemque obtruncant: ſed & Chriſtiani ſe ipſos defendere cœperunt, malumque malo cumulabatur. Pugna porro eo vsque producta eſt, quoad cædis ſatietas finem malo impoſuiſſet. Perierunt autem eo conflictu, ex gentilibus quidem pauci: ex Chriſtianis vero quam plurimi. Vulnerati autem ex vtraque parte erant innumerabiles. Exinde ob admiſſum facinus metus inuaſit gentiles, iram principis reformidantes. Nam poſteaquam cuncta pro libidine ſua patraſſent, & furorem ſuum cædibus exſatiaſſent, alius alibi ſe ſe occultauit. Multi etiam ex vrbe Alexandria profugerunt, per varias ciuitates diſperſi. Ex quorum numero fuere Grammatici duo, Helladius & Ammonius: quorum ego admodum adoleſcens Conſtantinopoli auditor fui. Et Helladius quidem Iouis; Ammonius vero ſimiæ ſacerdos eſſe dicebatur. Malo adhunc modum ſedato; præfectus Alexandriæ, & dux militum Aegypti, Theophilo in deſtruendis templis ſuppetias tulere. Ac templa quidem diſturbata ſunt. Statuæ vero in lebetes & in alios eccleſiæ Alexandrinæ vſus conflatæ, cum Imperator Deos gentilium ad ſuſtentandos pauperes ei donauiſſet. Ceterum Theophilus cum omnes deorum ſtatuas confregiſſet, vnam illius, quem ſupra nominauimus Dei, integram ſeruari ac publice proponi iuſſit: ne gentiles, vt aiebat, quandoque inficiarentur, huiusmodi ſe deos coluiſſe. Quam rem ægre admodum tuliſſe Ammonium Grammaticum, equidem certo ſcio. Quippe dicere ſolebat, graui iniuria affectam eſſe gentilium religionem, quod vnica ſtatua conflata non eſſet, ſed ad religionis ipſorum ludibrium ſeruaretur. Helladius vero apud quosdam gloriatus eſt, quod in conflictu ſua manu nouem homines interemiſſet.

§. XVII. Equidem anno ſequenti 392. ſpem recuperandorum ſacrorum a VALENTINIANO gentiles acceperant, quem proinde; verba faciente SYMMACHO, adierunt, & hoc deprecatore eum flectere, quamuis fruſtra, tentarunt, vt oſtendit BASNAGE *in annal. eccleſ. ad cit. ann. n. 1.* Interim tamen quia furor populi tum erga iudæorum ſynagogas, tum gentilium fana quotidie maiores ſumebat vires, variis legibus — Synagogarum euerſio variis legibus prohibita.

bus violentia hæc repreſſa eſt. Nam *anno 393.* conſtituerunt imperatores, *ne quis ſub chriſtianæ religionis nomine illicita quæque præſumeret, & deſtruere ſynagogas atque exſpoliare conaretur.* vid. *l. 9. C. Theod. de iudæis.* Idem repetitum *an. 397.* iuxta *l. 12. C. Theod. eod.* conſtitutumque: *oportere a iudæis irruentium contumelias propulſari, eorumque ſynagogas in quiete ſolita permanere.* Quia vero ne ſic quidem ſecuritati iudæorum ſatis proſpectum fuit, nouis legibus opus fuit. Nam *anno 412.* teſte *l. 20. Cod. Theod. de iud.* idem rurſus repetitum eſt, ſpeciatim vero in *l. 21. C. Theod.* quæ eſt *l. 14. Cod. repet. prælect. de iud.* ita cautum: *Nullus tanquam iudæus cum ſit innocens obteratur: nec expoſitum eum ad contumeliam religio qualiscunque perficiat. Non paſſim eorum ſynagogæ, vel habitacula concrementur, vel perperam ſine vlla ratione lædantur, cum alioquin etiamſi ſit aliquis ſceleribus implicitus, idcirco tamen iudiciorum vigor, iurisque publici tutela videtur in medio conſtituta, ne quisquam ſibi ipſi permittere valeat vltionem. Sed vt in hoc perſonis iudæorum volumus eſſe prouiſum, ita id quoque monendum eſſe cenſemus, ne iudæi forſitan inſoleſcant, elatique ſui ſecuritate quicquam præcipites in Chriſtianam reuerentiam vltionis admittant.* Idem repetitum in *l. 25. & 26. C. Theod. de iud.* anno 423. vbi ſimul increpantur hi, qui pleraque inconſulte *ſub prætextu venerandæ chriſtianitatis* admittunt, quod rurſus in *l. 27. Cod. Theod. cit. tit.* eodem anno confirmatur. Tam graue vero odium erga infideles hi, qui fideles dici voluerunt, ferebant, vt quouis modo eos violare, grauique iniuria afficere non erubeſcerent. Luculentum hac de re teſtimonium præbent leges contra hos violatores latæ, quorſum pertinet *l. 14. Cod. de iudæis,* & *l. 6. Cod. de pagan.* vbi ita: *Chriſtianis, qui vere ſunt, vel eſſe dicuntur, ſpecialiter demandamus, vt iudæis ac paganis quiete degentibus nihilque tentantibus turbulentum, legibusque contrarium, non audeant manus inferre, religionis auctoritate abuſi. Nam ſi contra ſecuros fuerint violenti, vel eorum bona diripuerint, non ea ſola, quæ abſtulerint, ſed conuicti in duplum, quæ rapue-*

Imo & contra iniurias infidelibus illatas legibus opus fuit.

rapuerint, reſtituere compellentur. Rectores etiam prouinciarum, & officia & principales cognoſcant ſe, ſi non ipſi talia vindicent, ſed fieri a popularibus hæc permiſerint, vt eos, qui fecerint, puniendos.

§. XVIII. Liquet ex hactenus dictis, imperatores iudaeis longe indulgentiores fuiſſe quam paganis, quippe qui maiora mala, florentibus eorum rebus, iis intulerant. Neque enim ea immunitas fanis gentilium indulta eſt, quam ſynagogæ acceperant, ſed ſacra gentilium tot legibus latis prorſus prohibita ſunt. Oſtendit hoc ipſum ARCADII conſtitutio in *l. 13. Cod. Theod. de pagan.* anno 395. lata, qua ſtatutum: *nullum ad fanum vel quodlibet templum habere quempiam licentiam accedendi, vel abominanda ſacrificia celebrandi quolibet loco vel tempore.* IDEM anno 396. in *l. 14. Cod. Theod. de pagan.* ſacerdotibus gentilibus omnia priuilegia ademit, quod eorum profeſſio per legem eſſet damnata; & quamuis gentiles ex quodam vaticinio crederent, annum 398. Chriſtianæ religioni fatalem fore, teſte ANTON. PAGI *in Critic. ad Baron. annal. ad cit. ann.* ſpes tamen eos fefellit, quin potius ARCADIVS, teſte EODEM *cit. loc. n. 24. & ſeqq.* ad ſuggeſtionem PORPHYRII Epiſcopi Gazenſis legem tulit *de templis idololatricis eius ciuitatis claudendis*, & anno ſequenti 399. feſtum gentilium *Maiuma* dictum ſuſtulit in *l. 2. Cod. Theod. de maiuma*, antea permiſſum per *l. vnic. Cod. de maiuma*. Solennia & rationem huius feſti tradunt ANTON. GODOFREDVS *ad cit. l. 2.* ANTON. PAGI *ad cit. ann. n. 5.* CLERICVS *dans la biblioth. choiſ. tom. VIII. p. 273.* BASNAGE *in annal. eccleſ. ad cit. ann. §. 6.* Eodem anno HONORIVS in *l. 15. C. Theod. de pagan.* reguſtauit quidem antiquas prohibitiones; ſed quia Zelus quorundam indiſcretus eo proceſſerat, vt *ſtatuas* & *ornamenta operum publicorum* ſimul delerent, penitus id ipſum inhibuit, quin etiam in *l. 17. cod. Theod. eod.* quæ eſt *l. 4. cod. rep. prælect. de pagan.* feſtos conuentus ciuium & conuiuia pagana, & communem omnium lætitiam permiſit. Equidem Patres Concilii Carthaginenſis V. *canone V. & VI.* ſeu *canone, LX. & LXI. codicis Africani,*

Iudæis longe indulgentiores fuere imperatores quam paganis.

ab HONORIO petendum decreuerant, vt talia conuiuia tollerentur, id tamen impetrare haud potuerunt. Imo quamuis ſacrificia gentilibus interdicta fuerunt, minime tamen permiſit HONORIVS, vt hoc prætextu ipſa ædificia diruerentur, ceu docet *l. 18. cod. Theod. de pagan.* eod. anno lata, vtut nequidem hoc tempore a diruendis templis plebs abſtinuerit. Id forſan hoc conſilio conſtitutum eſt, vt epiſcopi templa gentilium in eccleſias conuertere poſſint, quod eodem anno factum Carthagine, vbi celeberrimum Deæ cœleſtis fanum chriſtianæ religioni dicatum eſt, teſte PROSPERO *part. III. cap. 38.* Hoc modo chriſtiani iniuriam, per tria prima ſecula perpeſſam a gentilibus, vlti ſunt, de quo optime iudicat CLERICVS *tom. VIII. biblioth. choiſ. p. 276. C'eſt ainſi que les Chrétiens continuoient à rendre aux payens ce qu'ils en avoient ſouffert, pendant les trois premiers ſiecles; au lieu des les gagner par la patience, & par la douceur, qu'ils avoient tant prechées, lors qu'ils étoient les plus foibles. Cette conduite etoit propre à rendre les payens plus opiniatres, en leur perſuadant que les Chrétiens n'avoient affectè de parler de moderation & d'humanitè, que par interet; & nullement par principe de religion, comme ils le diſoient. Au moins, il eſt certain, qu'ils perdoient par-la le droit de ſe plaindre de la maniere, dont les payens les avoient traitez autre fois, & de vanter la douceur de leur religion; qu'ils deshonoroient tout a fait, par ces perſecutions.*

Hoc modo vlti ſunt Chriſtiani iniuriam a Paganis acceptam.

Seculo V. perſecutio erga paganos continuata eſt.

§. XIX. Continuarunt Chriſtiani bellum infidelibus illatum etiam per ſeculum V., & paganis adeo graues fuerunt, vt fere funditus eos extirpauerint. Iam *anno 408.* ab ARCADIO, HONORIO, & THEODOSIO de nouo cautum erat, vt ædificia ipſa templorum, quæ in oppidis, vel extra oppida eſſent, ad vſum publicum vindicarentur, aræ omnibus locis deſtruerentur, vel quicquam ſolennitatis paganicæ agitaretur. vid. *l. 19. C. Theod. de pagan.* Denuo anno 415. ſanctio hæc repetita & magis aucta eſt, ſimulque ſacerdotibus paganicis iniunctum, vt de metropolitanis ciui-

ciuitatibus diſcederent, ne forte lapis offenſionis Chriſtianis fierent. Vid. *l. 20. Cod. Theod. eod. tit.* Hoc ipſo vires eorum adeo attritæ ſunt, vt publico fere contemtui eſſent expoſiti, & macula quadam notati. Ante hæc tempora gentiles a Conſtantini M. temporibus ad militiam, & ſummas imperii palatiique dignitates admiſſi fuerant; verum hoc ſeculo, maxime ſub THEODOSIO iuniore, ii, qui catholicæ ſectæ inimici dicti, anno 408. intra palatium militare prohibiti ſunt. vid. *l. 42. Cod. Theod. de hæretic.* Anno 416. extenſa hæc conſtitutio, *vt qui profano pagani ritus errore ſeu crimine polluuntur, adminiſtratoris, vel iudicis honore decorari minime deberent.* Hoc ipſum adeo ſtatum paganorum imminuit, vt THEODOSIVS iunior an. 423. *in l. 2. Cod. Theod. de pagan.* crediderit, nullos amplius ſupereſſe paganos, de quo etiam in *l. 23. cit. loc.* quodammodo dubitauit; id quod tamen, meo iudicio, tantum accipiendum de imminuto paganorum numero; adhuc enim gentiles ſuperfuiſſe & fana, templa, delubra poſſediſſe, quamuis forſan in occulto, liquet ex *l. 25. C. Theod. de pagan.* quæ *anno 446.* lata. Hac lege, quod notandum, quoque cautum eſt, vt templa gentilium collocatione venerandæ chriſtianæ religionis ſigni expiarentur, vt hac præcedente expiatione eo facilius in eccleſias Chriſtianorum mutari poſſent. Ceterum multæ fuere cauſæ, ob quas paganorum religio, tot licet legibus latis, vno quaſi impetu exſtingui haud potuerit. *Maximum ſuſtentaculum*, ait ANTON van DALE *de Oracul. diſſ. II. c. VI. p. 549. huius prauæ religionis publicique ipſius cultus erant magnates & proceres Romani imperii, tam in oriente quam in occidente, vt quibus ſubnixi ceteri eo audacius peragebant ſua ſacra, iisque exemplo maiorum firmiter inhærebant*, id quod plenius in *ſqq.* declarat illuſtratque.

Vt fere gentiles macula notati fuerit.

§. XX. Varia quoque per hoc ſeculum *iudæorum* fortuna fuit, poſtquam odia inter hos & Chriſtianos magis magisque accenderentur. Longum foret ire per ſingula horum motuum capita, cum vel vnicum exemplum

Varia iudæorum fortuna per ſeculum V.

ſeditionis Alexandrinæ ſufficere poſſit, ob quam fere centum millia iudæorum ex hac vrbe pulſi ſunt. Totam rei ſeriem plenius enarrat SOCRATES *lib. VII. c. 13. & 14.* Multus in hac pugna CYRILLVS Epiſcopus fuit, qui cum ingenti multitudine ad ſynagogas iudæorum profectus eas illis ademit, iudæosque vrbe diſcedere coegit. Permoleſte hoc tulit ORESTES Alexandriæ præfectus, adeo vt inter ipſum & CYRILLVM nouum bellum ciuile oriretur, monachis cauſam CYRILLI agentibus, populo vero Alexandrino præfecto ſuo opem ferente. In hac pugna virtus, ferocitas vel potius, monachorum maxime emicuit, qui duplici cauſa præfecto inſultarunt: (I) quod iudæorum expulſionem improbaſſet, violentiamque CYRILLI damnaſſet; (II) quod eum paganum crederent. Hac de cauſa ad ipſum accedentes *immolatorem* ac *paganum*, θύτην καὶ ἕλληνα eum appellarunt, multisque aliis contumeliis affecerunt, adeo vt ad mala imminentia auertenda exclamare neceſſum habuerit: *ſe Chriſtianum eſſe, & Conſtantinopoli ab Attico Epiſcopo paptizatum.* Monachi huic aſſertioni parum fidentes, nihilominus impetum in eum fecerunt, & inter illos AMMONIVS iacto lapide ORESTEM in capite percuſſit, qui deprehenſus tormentis publice ſubjectus eſt, & tandem ſub iis extinctus. CYRILLVS ob hoc egregium facinus *martyrem illum vocari iuſſit, magnitudinem animi illius multis laudibus in eccleſia perſecutus, qui pro pietate certamen ſubiiſſet.* Sed audiamus SOCRATEM de hac cauſa ita iudicantem: *ſed qui modeſtiores erant ex ipſis etiam Chriſtianis, hoc Cyrilli ſtudium erga Ammonium non probarunt. Compertum enim habebant, hunc temeritatis ſuæ pœnas dediſſe, non autem tormentis immortuum eſſe, dum Chriſtum negare compelleretur.* conf. BASNAGE *dans l'hiſtoire des Iuifs l. VIII. c. 6. §. 9.* vbi optime mores huius ambitioſi Epiſcopi depingit.

Seditio Alexandrina,

Calamitates ſeculo VI. iudæis & ſamaritis illatæ.

§. XXI. Reliqua ſi perſequi ſpeciatim vellem in immenſum mare me immitterem, recenſendo perſecutiones & calamitates, quibus *infideles* & inprimis *iudæi* expoſiti fue-

fuerunt. Laconico ergo more vtar, & quaſi per indicem reliqua enarrabo. Iam inualuerat peruerſus mos iudæos per vim conuertendi, quod exemplo SEVERI, epiſcopatum in inſula Minorca gerentis, probat BASNAGE *dans l'hiſt. des juifs l. VIII. c. 7. §. 14.* Samaritani imprimis odio habiti, qui prorſus exæquati ſunt hæreticis, eisdemque pœnis ſubiecti. Liquet hoc ex *l. 18. C. de hæret. & Manich. & Samarit.* vbi dicitur: *Soli orthodoxi ſuccedunt ipſis ex teſtamento, & ab inteſtato, & legata capiunt. Cæteri autem hæretici, id eſt qui non ſunt orthodoxi & Græci ſeu Pagani & Samaritæ non militant, neque vlla dignitate decorantur, neque publicam adipiſcuntur curam, neque docent, neque aduocationibus funguntur.* Multa grauiora contra eos conſtituit IVSTINIANVS in *nouell. 129. & 144.* in quibus fere omne *commercium ciuile* ipſis ademtum eſt, quod reliquis quoque iudæis admodum graue fuiſſe facile coniici poteſt. Seculo VII. GREGORIVS in conuertendis gentilibus per Angliam ope AVGVSTINI admodum ſolicitus fuit, & *Aldiberto* regi autor ſuaſorque fuit *lib. IX. epiſt. 60.* vt fanorum ædificia euerteret, & idolorum cultus inſequeretur. Paulo poſt mutata ſententia *lib. IX. epiſt. 71.* cenſuit, fana idolorum in eadem gente minime eſſe deſtruenda, ſed aqua benedicta expianda, *quia*, ait, *ſi fana eadem bene conſtructa ſunt, neceſſe eſt, vt a cultu dæmonum in obſequium veri Dei debeant immutari, vt dum gens ipſa eadem fana ſua non videt deſtrui, de corde errorem deponat, & Deum verum agnoſcens ac adorans ad templa quæ conſueuit familiarius concurrat.* Eodem ſeculo HERACLIVS circa ann. 628. grauiſſimis malis affecit *iudæos* vnius ob delictum, ſimulque reges Galliæ & Hiſpaniæ induxit, vt cogerent iudæos vel ſolum mutare vel religionem. Equidem in *concilio Toletano IV.* anno 633. habito *canone 57. apud* HARDVINVM *in actis concilior. tom. III. p. 590.* conſtitutum eſt: *nemini iudæorum ad credendum deinde vim inferendam eſſe,* vbi ſimul tacite reprobatur factum *Siſibuti* regis, ſuaſu *Heraclii* iudæos per vim ad religionem trahentis. Sed mox ſcena mutata eſt in *concilio Toletano*

Fata gentilium per ſeculum VII.

& iudæorum

tano VI. anno 676. habito, vti liquet ex *canone 3. apud* HARDVINVM *p. 603.* vbi Epiſcopi gratias Deo agunt, quod regem ad perſequendos iudæos inflammauerit, qua perſecutione infinita mala perpeſſi ſunt. Nec meliora iudæorum fata in Gallia, CHILPERICO iudæos ad fidem Chriſtianam exquiſitiſſimis pœnis conuertere ſatagente, vt teſtatur GREGORIVS TVRONENS *lib. V. hiſt. Francic. cap. 11.* quod tamen nec ipſe GREGORIVS M. approbauit, vt conſtat ex *lib. I. epiſt. 34. 45. & 66.* Si quid mali eueniebat, id ipſum mox iudæis imputabatur, quorſum inter alia pertinet, quod Cæſarem LEONEM ISAVRVM induxerint ad iconoclaſtiam, quod ciuitatem Toloſanam Saracenis, & Burdigalam Normannis prodiderint, & quæ ſunt alia huius generis commenta. Nec tantum per hæc tempora violenta fuit *iudæorum* conuerſio, ſed etiam *gentilium* in Germania. Noto notior eſt methodus conuertendi eos, qua vſus eſt BONIFACIVS, inde *apoſtolus Germanorum* dictus. Ipſius CAROLI M. bella cum infidelibus idem loquuntur, ſed forſan ipſi religionis Chriſtianæ ſtudium tantum prætextum præbuit, vt eo magis potentiam ſuam augere poſſet.

fata gentilium per ſeculum VII. in Germania

Pontifex ſibi adſeruit dominium in omnes terras gentilium, easque in alios tranferre conatus eſt.

§. XXII. Et quis ignorat Pontificis Romani decreta, quibus poſt hæc tempora ſibi dominum in quascunque infidelium terras adſcripſit, easque illis adiudicauit, qui bella iis inferre, eosque extirpare ſtuduerunt. Teſtis eſt MATTHAEVS PARISIENSIS *ad ann. 1155.* vbi ita: *Per idem tempus, Rex Anglorum Henricus, nuncios ſolennes Romam mittens, rogauit Papam Adrianum, vt ſibi liceret Hyberniæ inſulam hoſtiliter intrare, & terram ſubiugare; atque homines illos beſtiales ad fidem & viam reducere veritatis, extirpatis ibi plantariis vitiorum. Quod Papa regi gratanter annuens, hoc ſequens ei priuilegium deſtinauit. "Adrianus Epiſcopus ſeruus "ſeruorum Dei, illuſtri Anglorum Regi ſalutem & Apoſtoli"cam benedictionem. Laudabiliter & ſatis ſtructuoſe de glo"rioſo nomine tuo propagando in terris, & æternæ felicitatis "præmio cumulando in cœlis tua magnificentia cogitat, dum "ad tantos eccleſiæ terminos, ad declarandum indoctis & ru-*

"dibus

"*dibus populis Chriſtianæ fidei veritatem, & vitiorum plan-
"talia de agro Dominico extirpanda, ſi catholicus Princeps
"intendis, & ad id conuenientius exequendum, conſilium ſe-
"dis Apoſtolicæ exigis & fauorem. In quo facto, quanto altio-
"ri conſilio & maiori diſcretione procedis, tanto in eo felicio-
"rem progreſſum te parante Domino, confidimus habiturum.
"Significaſti ſiquidem nobis, fili in Chriſto chariſſime, te Hy-
"berniæ inſulam ad ſubdendum populum legibus Chriſtianis
"& vitiorum inde plantalia extirpanda velle intrare, & de
"ſingulis domibus, annuam vnius denarii beato Petro velle ſol-
"uere penſionem: ita & iura eccleſiarum illius terræ illibata
"& integra conſeruare. Nos autem pium & laudabile de-
"ſiderium tuum fauore congruo proſequentes, & petitioni
"tuæ benignum impendentes aſſenſum, gratum & acceptum
"habemus, vt pro dilatandis eccleſiæ terminis, vitiorum re-
"ſtringendo concurſu, pro corrigendis moribus & virtutibus
"inſerendis, pro Chriſtianæ religionis augmento, inſulam il-
"lam ingrediaris, & quæ ad honorem Dei & ſalutem illius
"terræ ſpectauerint, exequaris: & illius terræ populus te re-
"cipiat, & ſicut dominum veneretur, iure eccleſiarum illibato
"& integro permanente, & ſalua beato Petro de ſingulis
"domibus annua vnius denarii penſione.* SANE OMNES
"INSVLAS QVIBVS SOL IVSTITIAE CHRI-
"STVS ILLVXIT, ET QVAE DOCVMENTA FIDEI
"CHRISTIANÆ SVSCEPERVNT, AD IVS SAN-
"CTI PETRI, ET SACRO SANCTAE ROMANAE
"ECCLESIAE (*quod tua etiam nobilitas recognoſcit*)
"NON EST DVBIVM PERTINERE. *Si ergo
"quod animo concepiſti, effectu duxeris proſequente complen-
"dum, ſtude gentem illam bonis moribus informari, & agas
"tam per te, quam per illos, quos ad hoc, fide, verbo & vita
"idoneos eſſe, perſpexeris, vt decoretur ibi eccleſia, plantetur
"& creſcat fidei Chriſtianæ religio, & quæ ad honorem Dei
"& ſalutem pertinent animarum, taliter ordinentur: vt &
"a Deo ſempiternæ mercedis cumulum conſequi merearis, &
"in terris glorioſum nomen valeas in ſæculis obtinere.* Di-

Rationes huius prætenſi iuris.

ploma hoc euidentiſſime declarat, Pontificem id iuris ſibi arrogaſſe, vt pro lubitu *terras infidelium* imperantibus Chriſtianis donauerit, quod pluribus ex hoc ipſo diplomate illuſtrat Excell. Dn. LVDEWIG in der Erleuterung über *Pufendorff.* Einleitung zur *Hiſtor. p. 575. ſeq.* Nec hoc adeo mirandum, cum ex doctrina interpretum iuris Canonici Papa tanquam CHRISTI vicarius omnem poteſtatem in vniuerſum mundum accepiſſe dicatur. Ex quo inferunt, quod ſolus vni auferre rem poſſit, & dare alteri, vt ait ANTON DE ROSELLIS *de concil. §. 1. rubr. Pontifex max. ſolus vid. abſolv. excommun. n. 38.* Similiter quod iure diuino transferre poſſit regna, quia ipſe in ſpiritualibus & annexis eis habere plenitudinem poteſtatis, nec alius ſuperior eſſe dicitur, quodque id Papa licite faciat, maxime propter *crimen gentis ſpirituale*, quo ad legem iudæorum vel ritum gentilitium inclinat, vt ait AVTOR *de poteſt. ſecul. & eccleſ. c. 163. n. 9.* Ea de cauſa Pontificem Archiepiſcopo Magdeburgenſi terras Moſcouiam & Tartariam verſus ſitas donaſſe teſtatur Magnif. ProRect. Dn. LVDEWIG *in comm. ad A. B. procem. §. 6. p. 25.* cuius donationis diploma adhuc aſſeruatur in tabulario Magdeburgico. Rationes quaſdam iam adduxi: illas ipſas FAGNANVS *ad c. 1. X. de conſtit. n. 64.* fuſius ſed ſine omni iudicio coaceruat. Ait: *Papa, qui eſt vicarius Chriſti, poteſtatem habet non tantum ſuper Chriſtianos ſed etiam ſuper infideles. Etenim cum Chriſtus plenam receperit poteſtatem, vnde in Pſalmo: Deus iudicium tuum regi da: non videretur diligens paterfamilias, niſi vicario ſuo, quem in terra dimittebat, plenam poteſtatem ſuper omnes dimiſiſſet.* Prouocat deinde ad vulgatum illud: *paſce oues meas*, & inde concludit: *Omnes autem tam fideles quam infideles oues ſunt Chriſti per creationem, licet non ſint de ouili Chriſti, & ſic per prædicta apparet, quod papa ſuper omnes habeat iurisdictionem, & poteſtatem de iure licet non de facto.* Inde infert, quod papa poſſit gentiles punire propter delicta contra ius naturæ commiſſa, veluti *ſi idola colant*, & ea de cauſa, iuſte

terris & dominio eosdem priuare. Inſulſam hanc philoſophiam, & plus quam barbaram ſaniores exſibilant; nec omnes in hoc luto hærent interpretes iuris canonici, vt oſtendit H. GROTIVS *de mari libero c. III.* demonſtratque, *Luſitanos in Indos non habere ius dominii titulo donationis pontificiæ.* Inter ipſos Hiſpanos FRANCISCVS *de victoria in relect. moral. rel. 1. Sect. V. num. 1.* huic doctrinæ adhæret, docetque Papam non eſſe mundi dominum, nec habere dominium in terris infidelium, *quia non habet*, ait, *poteſtatem, niſi intra eccleſiam*, id quod ſpecialiter *relect. V. ſect. 2.* ad Indos applicat, docetque, Papam nullomodo Indorum dominium in Hiſpanos transferre potuiſſe. Imo poteſtas, quam intra eccleſiam habere dicitur, ita comparata eſt, vt nequidem ad *fidelium* terras & regna extendi poſſit. Vid. GAIL. BARCLAIVS *de poteſt. Papæ, an vel quatenus in reges & principes ſeculares ius & imperium habeat.* PETRVS MOLINEVS *de Monarch. tempor. Pontif. Rom.* Imperatori quoque olim adſcriptum eſſe dominium tale in terras infidelium, diplomata antiqua loquuntur. Suppoſuere, Imperatorem eſſe dominum totius orbis in temporalibus, vt vnanimi veterum conſenſu ait IVLIVS PACIVS *de domin. mar. Hadriat.* & ex hoc *vniuerſali dominio* intulerunt, poſſe Imperatorem terras *infidelium* in alios transferre. Inſigne documentum, hoc ipſum illuſtrans, occurrit apud Magnif. ProRect. Dn. LVDEWIG, *in reliq. MSCtor. omn. æui diplom. ac monument. ſub n. 239.* quo LVDOVICVS IV. *an. 1337.* ordini Teuthonico Lithuaniam confert, his verbis: *Ob eiusdem patruelis noſtri interuentum & ſtrenua merita prædictorum fratrum ipſis & beato ordini memorato ad laudem & gloriam omnipotentis DEI & beatiſſimæ virginis Mariæ ſiue glorioſæ, terram Lythwinorum cum omnibus pertinentiis ſuis & partibus cuiuscunque ydiomatis ſiue Samayten, Karſow vel Rüſye ſeu alterius cuiuscunque exiſtant, prout nunc ſunt, vel ad quamcunque fidem declinauerint, de imperiali auctoritate donamus pure & irreuocabiliter iure proprio in perpetuum pro ſe & ſuis ſucceſſoribus recipientibus dictam terram,*

Quandoque etiam imperatori talis poteſtas in terras infidelium adſcripta eſt.

terram. Denique fratrem Theodoricum felicem noſtrum & imperii principem nomine dicti ſacri ordinis inueſtimus de iisdem cum adminiſtratione temporalium & iurisdictione eiusdem plenaria principatus. Sed forſan antiquis temporibus præualuit pontificis diſpoſitio de *terris infidelium*, qui imprimis auctor tot gentibus principibusque fuit, vt expeditiones in terram ſanctam facerent, qui ordines militares hoc ſpeciali obſtrinxit voto vt ad debellandos infideles ſeſe accingerent, & pro dilatandis finibus ſolliciti eſſent, quo papatus quoque latius extenderetur, & pontificis poteſtati gentes infideles ſubiicerentur.

Status iudæorum per ſeculum XI.

§. XXIII. Status iudæorum per ſeculum XI. & ſeqq. adeo miſerrimus fuit, vt ob ingentes perſecutiones vix reſpirare potuerint. Ipſi pontifices aliquando iis indulſerunt priuilegia, *ne a regibus aut principibus pro exactione pecuniæ turpiter tractarentur, vel in carcere traderentur*, vt ait MATTHAEVS PARISIENS. *in hiſt. Angl. ad ann. 1235. p. 346.* Speciatim crudelitatem Chriſtianorum erga iudæos pleniſſime perſecutus eſt ſæpe laudatus BASNAGE *dans l' hiſtoire des juifs lib. IX.* quæ ſingula perſequi ratio inſtituti non permittit. Generatim tantum obſervo illos non tantum infinitis malis fuiſſe affectos, & tolerantiam eorum in dubium vocatam, ſed præterea tam turpiter habitos, vt fere *ſeruis* annumerarentur, & omnia humanitatis iura iis denegarentur. Si quandoque mitius habiti, ſi pacem obtinuerunt, ingenti pecuniæ ſumma illam redimere coacti ſunt, vt fere diceres, ob ſolum lucrum & quæſtum illis hinc inde vitam relictam fuiſſe. Nihilominus tamen extirpari haut potuerunt, ad inimicorum maiorem inuidiam quotidie aucti ſunt, & ad vsque hodierna tempora incolumes degunt. Nulla eſt gens tam latiſſima, nulla religio ſupereſt pagana, quæ tandem haud fuerit deperdita, extincta, vel ita attenuata, vt vix memoriam ſui reliquerit: iudæi vero per totum orbem fere diſperſi, & per tot ſecula in exilio viuentes, non obſtantibus duriſſimis perſecutionibus, opprimi haud potuerunt, adeo vt numerus

ſeruis fere annumerati ſunt

eorum

eorum adhuc hodie ingentiſſimus ſit, obſeruante BASNAGE *lib. IX. cap. 38. c. l. in fin.* Pagani hodie inter nos in Europa vix amplius degunt, quatenus religionem conſtituimus dominantem, ſed illi tandem per imperium Romanum deleti ſunt. Vnde quod in hac diſſertatione de iure circa *infideles* dicturus ſum, potiſſimum fere *iudaeis* applicandum erit, quamuis nonnunquam ex accidentente contingere poſſit, vt etiam alii infideles inter nos deprehendantur, vel ex belli infortunio, vel alia publica cauſa, vel denique ex quadam apoſtaſia. Nec tamen horum cauſa prorſus deſerenda fuit, quod rariora eorum exempla occurrant: ſufficit enim quod exiſtere posſint, & ſic qui iuris diſciplinam tractat, etiam ad hos ſimilesque caſus promtus paratusque eſſe debeat.

§. XXIV. Ceterum tota harum rerum, quae in compendio allatae ſunt, ſeries oſtendit, vnde *infideles* ſtatum in republica diverſum diſſimilemque induerint, & vnde illis tot diuerſa iura ab aliis ciuibus Chriſtianis data fuerint. Religio alias *ſtatum ciuilem* & *ſubiectionis* immutare aut alterare non ſolet, cum reſpectus ciuilis diuerſique hominum ſtatus aliunde dependeant. Verum duae omnino cauſae ſunt, quae diuerſitatem iurium in plurimis quoad *infideles* induxerunt. Prima deducenda eſt ex *odio implacabili* Chriſtianorum erga infideles, qui ab eo tempore, quo dominatum in eos geſſerunt, duriſſima quaeuis in eosdem conſtituerunt, eosque ſeruili fere conditioni ſubiicere conati ſunt. Secunda queſirenda eſt in *ſacerdotii autoritate* quotidie inualeſcente, quod ſub nomine *eccleſiae* vniuerſum ius ſacrum in ſuam redegit poteſtatem, vt de *concordia ſacerdotii* & *imperii* cogitandum fuerit. Cum ergo hoc modo religio ſtatui ciuili admodum intermixta eſſe coeperit, non potuere non leges quoque peculiares de his, qui ſunt extra *eccleſiam* & *imperium ſacrum* conſtituti, ferri, & fideles, qui dicuntur eſſe in eccleſia, diuerſa prorſus iura *ſacra* & *profana* conſequi. Hac de cauſa integram duabus ſectionibus diſſertationem abſoluam, quarum prima *de iure ſacro*, ſe-

Inde tot diuerſa infidelium iura nata ſunt.

cunda vero *de iure profano circa infideles*, tum quatenus nondum *conuerſi*, tum etiam quatenus ad noſtra ſacra accedere vel conſtituerunt, vel iam acceſſerunt, vel denique rurſus inde receſſerunt, & in ſtatum *relapſorum* inciderunt, occupata erit.

SECTIO I.

De iure ſacro circa infideles.

CAPVT I.

De iure ſacro circa infideles non conuerſos.

§. I.

Libertas conſcientiæ & religionis aſſeritur

MAgna *eſt vis conſcientiæ*, vt ait CICERO, multo maior vero *vis religionis*, quæ principatum in *conſcientia* conſtituit. Hæc ſua natura & iure gentium eſt libera, omni imperio exemta humano, & ſolius Dei & directioni ſubiecta. Quamuis enim actiones hominum ciuiles voluntati imperantis ſubmiſſæ fuerint, & ſubmitti debuerint, *conſcientiæ* tamen diuerſa eſt ratio & conditio, maxime in cauſis *religionem* concernentibus, quæ nec potuit, nec debuit arbitrio ſummorum imperantium ſubiici; imo nec in hunc finem ſocietates ciuiles coalitæ ſunt, vt religionem ciues componerent ad arbitrium & voluntatem legislatoris; ſed potius vt *tranquillitas publica* & *pax externa ciuilis* conſeruaretur. Nec tantum hoc eo pertinet, vt, quos *hæreticos* vocamus, ab omni perſecutione & odio ciuili tutos immunesque præſtemus; ſed etiam ne *tolerantiam* iis, quos *infideles* vocamus, denegemus, quipe quæ, iudice AVTORE *epiſtolæ de tolerantia A. 1689. Goudæ editæ*, eſt *eccleſiæ Chriſtianæ veriſſimus character, & absque qua caritas chriſtiana emortua eſt*. Sed nolo hanc cauſam pluribus exornare argumentis, poſtquam plures alii viri

quod etiam ad infideles extenditur

eru-

eruditiſſimi patrocinium eius ſuſceperunt, inter quos imprimis nominandi ſunt SAMVEL WERENFELS *Theologus Baſileenſis in epiſt. de iure in conſcientias ab homine non vſurpando*, GERHARDT. NOODT in *orat. de religione ab imperio iure gentium libera*, BAELIVS *dans le commentaire philoſophique ſur ces paroles de Ieſus Chriſt: contrain-les d' entrer, ou traité de la tolerance vniverſelle*, ELIAS SAVRINVS *dans reflexions ſur le droit de la conſcience*, BASNAGE *traité de la conſcience*, & *Dn.* PRAESES in *diſſert. prælim. ad ius eccleſ. Proteſtant. part. II. de iure circa libertatem conſcientiæ*. Omnes hi in eo quidem conſpirant, quod conſcientiæ & religioni aſſerenda ſit libertas; aſt in *gradu libertatis* non conueniunt, dum quidam *laxiorem*, quidam *reſtrictiorem* ei indulgent. Prius contendit BAELIVS, contra quem hac de cauſa calamum ſtrinxit IVRIVS in *tractatu 1687. edito ſub tit: Des droits de deux ſouverains, en matiere de religion, la Conſcience & le Prince, pour detruir le dogme de l' indifference des religions, & de la tolerance vniverſelle, contre vn livre intitulé Commentaire philoſophique ſur ces paroles de la Parabole: contrain-les d' entrer.* Similiter illius cauſam egiſſe videtur REX SIAMENSIS, a legato Regis Galliæ interpellatus, vt Chriſtianam amplecteretur fidem, qui reſpondiſſe fertur, vt ex P. TACHARDI *voyage de Siam des Peres Jeſuites envoyez par le Roy aux Indes & à la Chine* refert CLERICVS *tom. IV. biblioth. vniuerſ. p. 483: qu'il étoit étonné que le Roi de France s' intereſſat ſi fort dans une affaire, qui regarde Dieu, où il ſemble, que Dieu même ne prenne aucun interet, & qu' il a entierement laiſſée à notre discretion. Car ce vrai Dieu qui a creé le ciel & la terre, & toutes les créatures qu'on y voit, & qui leur a donné des natures & des inclinations ſi differentes, pourroit bien s' il eût voulu en donnant aux hommes des corps & des ames ſemblables, leur inſpirer les mêmes ſentimens pour la religion, qu'il falloit ſuivre, & faire nâitre toutes les nations dans vne même loy: qu'il ſemble que la prouidence permette la diuerſité des ſectes, parce que Dieu prent autant de plaiſir à être honoré par des cultes & des céremonies differentes, qu' à être glorifié* — de gradu libertatis tamen diſputatur.

par la prodigieuſe quantité des créatures, dont les diuerſes beautez publient ſa puiſſance infinie. Le miniſtre qui n'avoit pas moiens d'eſprit que ſon maître, luy répondit en theologien conſommé, que les hommes n'etoient pas ſoumis à une neceſſité aveugle, qu'ils avoient de la raiſon pour connoître la veritable religion & de la liberta pour la choiſir; qu'ainſi pour être égreables à Dieu, ils étoient obligez de rechercher la verite.

Dubitatum tamen fuit, an iudæi & infideles inter Chriſtianos eſſent tolerandi.

§. II. His tamen non obſtantibus, a multis retro ſeculis, vt ex *prolegomenis* liquet, in dubium vocatum fuit, an inter Chriſtianos *infideles*, & ſpeciatim inter hos *iudæi* tolerandi ſint? Plura argumenta contra receptionem eorum afferri ſolent, quæ coaceruat GISBERT. VOETIVS *part. II. ſelect. diſput. p. 118. & ſeq. in diſſert. de iudaiſmo.* Grauiter etiam contra eorum receptionem edifferit LVDOV. GILHAVSEN *in arbore iudic. part. I. c. I. n. 70.* docetque: *eiusmodi homines perfidos nullo modo apud Chriſtianos eſſe ferendos, multo minus inter eos recipiendos, non ſolum quia Chriſtianorum, inter quos verſantur, vera pernicies ſunt, & qui vere ſanguiſugis æquipararı poſſunt, verum etiam potiſſimum propter eorum diras execrationes & blaſphemias, quas in filium Dei evomunt.* Non recoquam omnia illa argumenta, quæ ſine iudicio afferri ſolent contra infidelium receptionem; illud tantum addo, illa haud euincere, eos plane non eſſe tolerandos, ſed *præcautione aliqua* in eorum tolerantia opus eſſe, ne ex illa pax ciuilis turbetur, aliaque mala funeſta in republica exſurgant. Experientia docet, diuerſitatem religionum non quidem *per ſe*, ſed ex intempeſtiuo quodam Zelo odia & diſcordias parere, & nonnunquam motus ciuiles excitare, qui tamen præcaueri poſſunt, ſi hi ipſi, qui vt plurimum talium turbarum autores ſunt, compeſcuntur, & in officio ſuo continentur. Optimis id ipſum illuſtrat argumentis IOH. CLERICVS *dans biblioth. vniuerſ. tom. XII. p. 475.* & *ſeqq.* quibus addi poteſt, quod hodie imprimis ab infidelibus nihil adeo turbarium metuendum ſit, quam olim quidem, vbi religio chriſtiana ad *dominatum* tendebat, eumque infidelium ſectæ eripere conabatur, quod ſine grauiſſimis moitbus

bus fieri non potuit. Id tamen minime diffiteor, præcautiones nonnullas obſeruandas eſſe, quarum nonnullas adduxit Dn. PRAESES *in diſſ. de cauſa iudæor. toler.* Has commendat IOH. CLERICVS *cit. loc. p. 482. & ſeqq.* (1.) quod haut permittendæ ſint doctrinæ ſocietati ciuili eiusque tranquillitati contrariæ, quorſum imprimis refert *atheiſmum*, de quo ſpeciatim deinceps dicam. Etiam inter Chriſtianos ſectæ reperiuntur, de quibus dubitatum fuit, an ſalua reipubliæ pace tolerari poſſent, de quibus egit Dn. BVDDEVS *diſſ. de concordia religion. Chriſt. ſtatusque ciuil.* Diſſimulare tamen nequeo, in *theſi* quidem hoc verum, ſed in *applicatione* & *hypotheſi* multis abuſibus obnoxium eſſe, cum plerique, qui ſectæ alicuius interitum meditantur, hoc argumento vtantur. Ipſi gentiles contra Chriſtianos id vrſerunt, eorumque religionem *peſtem reipublicæ* eſſe aſſeruerunt, teſte Dn. BVDDEO. *cit. loc. c. 11.* Iudæorum religioni idem vitio datum eſt. Quæ cum ita ſint, in ipſam rem præſentem veniendum, & ſolicite hi audiendi, quibus talia dogmata peruerſa imputantur. (2.) Addit CLERICVS, facilius ſupportandas eſſe omnes reliquas ſpeculationes, nec bonis moribus, nec ſtatui ciuili contrarias. (3.) Tolerantiam hanc quoque deſiderare quasdam præcautiones contra eos, qui omnem tolerantiam deſtruere conantur, vtpote a quorum conſiliis non raro plus turbarum quam periculi a ſecta peregrina metuendum eſt, maxime ſi alicuius in republica autoritatis ſunt, & quodam cum impetu agunt. (4.) Tolerantiam hanc eſſe debere conſtantem, nullisque variis mutationibus obnoxiam. Inhumanum videtur eosdem, quos reſpublica recepit & tolerare conſtituit, mox rurſus eiicere maleque habere, quod fatum ſæpius iudæi experti ſunt, vt de aliis ſectis non dicam. Speciatim circa iudæos hoc monent, ne in vna regione & ciuitate tanto recipiantur numero, vt rempublicam internis motibus & ſeditionibus concutere poſſint; præterea vt autoritati & iurisdictioni magiſtratuum ſe ſubiiciant, præcaueaturque, ne, ad quod alias ſatis proni ſunt, Chriſtianos diris deuoueant,

Præcautiones in tolerantia neceſſariæ.

ueant, aut blaſphema verba in Chriſtum euomant. De tolerantia gentilium aliorumque infidelium vix neceſſe eſt aliquid addere, quorum rariſſima apud nos exempla ſunt, niſi forſan per captiuitatem bellicam ad nos fuerint deducti vel extra Europam conſtituti.

Non ſunt iuſta arma in quoscunque infideles, ideo, quod ſint infideles.

§. III. Inde liquet, quid de eorum ſententia dicendum ſit, qui iuſta in quoscunque infideles arma eſſe putant. Veteranorum ſententiam refert CARDINAL. TVSCHIVS *litt. I. concl. 124.* docetque, infidelibus bellum eſſe inferendum, etiamſi ipſi viuere velint in pace, quia quamprimum occaſio ſe præbuerit, in Chriſtianos arma conuertunt. *c. 48. C. 23. q. 4.* Alii hoc reſtringunt ad illas terras, quæ fuerunt aliquando fidelium, & ab infidelibus occupatæ ſunt. Adferunt exempla iudæorum, Caanitis ob idololatriam bellum inferentium. Vnde hæc opinio nata ſit, iam in *prolegomenis* monitum eſt. Nullo ſane argumento oſtendi poterit, chriſtianæ religioni hoc ius eſſe peculiariter datum, vt nationes infidelium extirpare & delere debeat, quin potius, vt recte GROTIVS *lib. II. de I. B. & P. cap. 20. §. 48.* docet, Chriſto hoc placuit, vt ad legem ſuam recipiendam nemo huius vitæ pœnis aut earum metu pertraheretur. Nec quod Deus in veteri teſtamento iudæis peculiariter commiſit, in conſequentiam trahendum eſt, cum tali mandato ſpeciali deſtituamur. Huc quoque alia pertinet quæſtio: *an infideles alia de cauſa deuicti & ſub iugum redacti, vel etiam bona gratia recepti, pro lubitu expelli poſſint, ea vnice de cauſa, quod ſint infideles?* Conſtat plures Principes Chriſtianos, regna, terras & ciuitates medios inter infideles poſſidere, in reliquis orbis partibus, imo ſubditos plures antiquo errore adhuc imbutos habere, quos tamen ſemel in fidem & tutelam receperunt. RICCIVLLVS *de iure perſonar. extr. eccl. grem. exiſtent. lib. II. cap. 51.* expulſionem talem quidem negat, ſed *num. 11.* plures adiicit limitationes, ſub quibus expulſio infidelium qualiscunque facile defendi poterit. Huc refert, ſi regnum nouiter ad fidem conuerſum: quo enim facilius ibi chriſtiana religio propagari poſſit, infidelibus

nec ſemel recepti pro lubitu expelli poſſunt.

im-

imperari poſſe emigrationem cenſet exemplo CONSTANTINI. Porro expulſionem tunc iuſtam eſſe addit, ſi in chriſtianam religionem euadant contumelioſi; ſi ſeditiones excitent; ſi in tam magnum numerum excreuerint, vt proditio inde metuenda ſit; ſi ita diuites euaſerint, vt ex facultatum augmento aliquid inconueniens ſuſpicari poſſit. His limitationibus ſubiungit exempla ex antiquitate eccleſiaſtica petita, quia ſub his prætextibus expulſio eorum facta eſt. Quemadmodum vero alii iam demonſtrarunt, vt plurimum cauſas expulſionis iudæorum fuiſſe friuolas, meraſque calumnias, quas quoad iudæos BASNAGE in *tractatu ſæpe laudato* optime detexit; ita expulſionem hanc contra fidem publice infidelibus datam fore exiſtimo. Quod ſi deliquerint, ſi ſeditioſi facti fuerint, autores ſeditionis debitis ſubiiciendi ſunt pœnis, non proptorea omnes omnino expellendi. Non rarum eſt, etiam ſubditos Chriſtianos turbas ſeditionemque excitare in republica, qui tamen propterea haut expelluntur, ſed tantum in autores ſeditionis animaduertitur. Nec admitto diſcrimen, ſi quis aſſerere velit, hos eſſe *fideles*, *infideles* non eodem fauore dignos; nam quatenus ſunt ſeditioſi ciues, nulla quoad hoc crimen inter eos eſt inducenda differentia, niſi forſan infideles nouiter recepti ſint ſub hac conditione, vt pacifice viuerent, alioquin ſcirent ſe mox expulſum iri, quia tum ex lege conuentionis cum iis agitur; ſicuti enim imperanti integrum eſt, infideles aduenas non recipere; ita eosdem ſub quibuscunque pactis & conditionibus recipere non prohibetur. Conf. REINKING *de regim. ſecul. lib. II. cl. 2. c. 3. n. 47. ſqq.*

§. IV. Quia vero in *prolegomenis* obſeruaui, *Atheos* quoque infidelibus annumerandos eſſe, de eorum tolerantia maior dubitatio naſcitur. Quæſtio potiſſimum huc redit, vtrum atheiſmus ſtatui ciuili noxius ſit, aut ſaltem an maius damnum ei afferat quam idololatria aut ſuperſtitio? Quæ contentiones inter PETR. BAELIVM & IACOB. BERNARDVM inde fuerint enatæ, docet Dn. BVDDEVS in *tr. de atheiſmo* — **An Athei tolerandi.**

mo & ſuperſtit. cap. IV. §. 5. in not. In eo videlicet BAELIVS totus fuit, vt atheiſmum rebus publicis non adeo noxium eſſe ſtatueret, ea quidem maxime de cauſa, quod ipſæ ſocietates ad humani generis conſeruationem non adeo neceſſariæ eſſe videantur, cum ipſa experientia doceat, integras gentes ſubſtitiſſe ſine ſocietate ciuili, imo ſine religione ſecure & tranquille vixiſſe; ex quo concludit, hoc multo magis de illis, qui in ſocietatem ciuilem coaluerunt, aſſerendum eſſe, vtpote qui facilius ſpe præmiorum & metu pœnarum in officio contineri poſſent, quam qui extra ſocietatem ciuilem ſunt conſtituti. Addit nullum ex atheiſmo incommodum reipublicæ metuendum eſſe, cuius conſeruatio ita comparata eſt, vt maxima inde ad ſingulos commoda redundent, adeoque neminem facile quicquam admiſſurum, quod ciuitatis rationibus repugnet, quia maiora inde incommoda ipſi metuenda forent. Negat præterea, religionem ad conſeruandam rempublicam prorſus eſſe neceſſariam, ſed tantum adiumentum aliquod aut præſidium afferre; ipſam religionem non raro quoque plura incommoda habere, cum plebs religione vel ſuperſtitione capta magis vatibus quam ducibus parere ſoleat. Recte vero regerit Dn. BVDDEVS *cit. loc.* adductas rationes admodum lubricas eſſe. Qui ſtructuram rerumpublicarum examinat, facile intelligit, ita res hominum eſſe comparatas, vt ſine ſocietatibus tranquille viuere non poſſint, & ſi vel maxime gentes quædam dentur, quæ in *ſocietates ciuiles ordinatas* haud abierunt, more pecudum viuentes, inde tamen argumentum ad *ſocietates ciuiles ordinatas* minime trahendum eſt, quæ, cum arctius vinculum deſiderent, *religionis* culturam omnino expoſtulant. Id ergo vnice tantum quæritur, *an non ſemel conſtitutis rebuspublicis atheiſmus aduerſetur?* Sane qui *religionem* omnem pro mero *commento politico* habent, & omnia pietatis ſemina euellere conantur, non poſſunt non omne *ſubiectionis* vinculum in dubium vocare, quos nec ratio commodorum, quæ ex conſeruatione reipublicæ ſperant, a propoſito maleuolo reuo-

Examinantur Bælii argumenta pro tolerantia atheiſtarum facientia.

reuocabit, ſi id rationibus ſuis congruere viſum fuerit. Non nego, quandoque *ſuperſtitionem* idem præſtare poſſe; non tamen tanta inde mala ſunt metuenda, quam ex doctrina *atheiſmi,* quæ omne omnino fundamentum reipublicæ euertit, vinculumque ciuile diſſoluit, quæ nullum Dei cultum, nullum Numinis timorem, nullumque *conſcientiæ* iudicium admittit. Hæc omnia admittit ſuperſtitio, vtut erronee & peruerſe, nec eo, quo debebat, modo. Aliquis adminimum eſt cultus & reuerentia Numinis in *ſuperſtitione*: omnis exulat in *atheiſmo.* Cum ergo maiora mala ex *atheorum* commercio reipublicæ immineant, quo plures in eandem ruinam ſecum trahere poſſint, id quod tamen principi magnopere præcauendum eſt, iuſte *atheis* emigrationem imperari poſſe exiſtimo, ne pars ſincera trahatur. Eandem ſententiam aliis argumentis confirmat MASIVS *in intereſſe principum circa relig. euangel.* vbi potiſſimum tria principia fundamenti loco ponit: Primum eſt, *religionem eſſe fundamentum ſocietatis ciuilis,* quæ absque ea ſubſiſtere nequit. Inde mox concludit, atheos nullo modo in republica ferendos eſſe, quin, quod grauius eſt, eos vt turbatores quietis publicæ puniendos credit, ſi funeſtam hanc doctrinam publice profiteantur. Alterum eſt, *leges humanas ſupponere leges diuinas*, vnde illæ maiorem autoritatem accipiant. Addit tertio, *religionem eo præſtantiorem eſſe, quo magis obſeruantiam legum ciuilium inculcat, ſubditosque ad eam adſtringit,* quæ hic quidem ſub incudem ſpeciatim haud reuocabo.

§. V. Quæ cum ita ſint, facile liquet, qui factum fuerit, vt tolerantia infidelium, eosque recipiendi poteſtas ad *regalia principum* relata ſit, ita vt, quamuis *inferior magiſtratus* ſubditos quoscunque regulariter ciuium numero inſerere poſſit, minime tamen *iudæos* aliosque *infideles* ipſi recipere permiſſum ſit. Docent ſecula præcedentia, iudæos aliosque infideles hinc inde expulſos, creditumque fuiſſe, eos *regulariter* tolerari haud debere. Priuati ergo potiſſimum ſunt habilitate acquirendi *ius ciuitatis Teutonicæ,*

Hac de cauſa tolerantia infidelium ad regalia principum relata.

nicæ, adeo vt ſit tolerentur, per *meram gratiam* & *diſpenſationem* recipi debeant, vt nec Pontifex in *cap. 21. de teſtib.* diffitetur. Inde olim Cæſares peculiare ius in iudæos ſibi vindicarunt, eosque ſibi immediate ſubiici, quandoque conſtituerunt, vt vel hac de cauſa *ſerui cameræ ſpeciales* dicti fuerint apud GOLDAST. *tom. II. rer. Germ. p. 85.* imo fere in proprietatem eius translati. Vid. IVS ALEMANN. *cap. 76.* & Prorector magnif. Dn. LVDWIG. *ad Aur. Bull. tit. IX. §. 2. & 3. p. 853.* MAGERVS *de Aduocat. cap. VIII. n. 273. ſeqq.* Inde traditio vulgaris orta eſt, iudæos olim *Statuum* iurisdictione exemptos, ſpecialesque ſuos aduocatos, qui iudæis ius dicerent, habuiſſe, nec aliter Status iurisdictionem in eos ſibi vindicare potuiſſe, quam priuilegio vel præſcriptione. Sic *in diplomate de anno 965. apud* LEVBER. *de ſtapula Sax.* Magdeburgenſi eccleſiæ ſpecialiter hoc ius tributum eſt: *& ne vel iudæi, vel ceteri ibi manentes negotiatores vllam aliunde, niſi ab illo, qui eidem eccleſiæ præfuerit, diſtrictionis aut diſciplinæ ſententiam vel regularem ſuſtineant, volumus & firmiter iubemus &c.* CHRISTOPH. BROWER. *l. IV. annal. Fuldenſ. cap. 18. §. 44.* teſtatur, adhuc *Ao. 1237.* gentem iudæam in *tutela Imperatoris* fuiſſe, tandemque CAROLI IV. pactione eam HENRICO Abbati obueniſſe; & quis ignorat ſanctionem AVREAE BVLLAE *tit. IX. §. 2.*, qua Electoribus *ius recipiendi iudæos*, vt ſpeciale priuilegium, conceſſum eſt? Conf. HERTIVS *de ſubiect. territ. §. 8.* SCHILTER *ad ius feud. Alem. cap. XXXVI. §. 5.* Tandem tamen poſtquam Statuum *ſuperioritas territorialis* maiora cœpit incrementa, Cæſarum vero decreuit maieſtas, ius hoc, tot ſpecialibus priuilegiis quibusdam datum, omnibus communicatum & ſuperioritati territoriali adſcriptum eſt. Ea de cauſa vt plurimum iudæi quoque peculiares ſuos iudices in territorio Principum habent, & a ſubiectione oppidana liberati ſunt, ideo quod immediate ea principis *gratia* recepti fuerint.

& iudæos ſub Cæſaris poteſtate immediate eſſe, olim fuit creditum.

Statibus quibusdam ſpeciali priuilegio communicatum.

§. VI. Quia vero ex doctrina Romanæ eccleſiæ præter rempublicam ſecularem, *eccleſiaſtica* quoque datur, & ſubditi hoc intuitu ſub duplici imperio ſeu *gladio* viuunt, dubi-

De iurisdictione & poteſtate eccleſiæ in infide-

les ex mente Catholicorum

dubitatum fuit: *an etiam iudæi, aliique infideles ſint in & ſub eccleſia?* In *eccleſia* dicuntur eſſe proprie, qui per baptiſmum tanquam ianuam quandam, vt loquuntur, fidelium numero aggregati ſunt, vno verbo *Chriſtiani.* Hoc ſuppoſito, *extra eccleſiam* conſtituti eſſe dicuntur, quod etiam ipſi pontificii teſtantur, obſeruante RICCIVLLO *cit. tr. cap. I. lib. II.* Sub eccleſia eſſe dicuntur, qui ſub iurisdictione eccleſiaſtica cleri potentioris ſunt conſtituti. Loquor ex hypotheſi Romanæ eccleſiæ, ſecundum quam iurisdictio eccleſiaſtica eſt *independens* a poteſtate ſeculari: quo intuitu certi limites *ſacerdotio* & *imperio* ſunt conſtituti, ne colliſio imperii *ſecularis* & *eccleſiaſtici* fiat.

& Proteſtantium

Quamuis vero inter Proteſtantes hæc diſtinctio in ſenſu adducto ſublata, & ſtatus eccleſiæ, quatenus ſpecialem rempublicam in ſenſu iuris canonici format, mutatus ſit, denique iurisdictio eccleſiaſtica a poteſtate territoriali principum dependeat: conſtat tamen, in plerisque locis Conſiſtoria adhuc effigiata eſſe ad formam iudiciorum eccleſiaſticorum Catholicorum, adeoque quæſtio adducta ſuum etiam inter Proteſtantes vſum habebit, quando quæritur, tum de *iure circa ſacra* iudæorum, tum de *poteſtate Conſiſtorii in iudæos.*

vt & Chriſtianorum Imperatorum primitiuorum

Equidem in *l. 8. C. de iud.* generatim in quibuscunque cauſis iudæi foro ſeculari ſubiecti eſſe videntur his verbis: *Iudæi communi iure Romanorum viuentes in his cauſis, quæ tam ad ſuperſtitionem eorum, quam ad forum & leges ac iura pertinent, adeant ſolenni more iudicia, omnes Romanis legibus conferant & excipiant actiones.* Verum *in Codice Theodoſ.* quo hæc ſanctio refertur in *l. 10. de iurisdict. & vbi quis conuen. deb.* diuerſa prorſus ſententia affertur, ſecundum quam textus ita legendus eſt: *Quæ non tam ad ſuperſtitionem eorum, quam ad forum & leges ac iura pertinent;* quæ ſententia etiam magis antiquitati conuenit. Iudæi enim, ſub orbe Romano degentes, partim *legibus Romanis* regebantur, partim vero *proprio iure* quoad ea, quæ ad ſuperſtitionem eorum pertinebant, vt plenius oſtendit GODOFREDVS *ad cit. l.* In his enim cauſis, quæ ad *cultum*

 diui-

diuinum ſpectabant, cognitionem maioribus ex iudæis relinquebant, adeo vt THEODOSIVS etiam *ius excommunicandi* peccatores adhuc illis permiſerit. conf. BASNAGE *dans l'hiſtoire des juifs lib. VIII. cap. 5. §. 20.* Hoc iure in ſacris per plures annos vſi ſunt, quod indicium præbet, Epiſcopos olim nullam in eos exercuiſſe iurisdictionem, quippe quam tantum in eos, qui membra eccleſiæ erant, exercebant. Ipſi Pontificii hodie in hac quæſtione non ſatis ſibi conſtant. Facile admittunt, *per indirectum* eccleſiam poteſtatem exercere in infideles, imperando principibus, vt hoc vel illo modo contra illos procedant, & ita executores præceptorum clericalium fiant, teſte RICCIVLLO *lib. II. cit. tr. cap. 52. n. 8. ſeqq.* Plura ſane de iudæis in conciliis ſunt conſtituta; plerumque tamen eo reſpectu, vt principes ad executionem eorum adigant. Compertum enim habent, arma ſpiritualia, quibus vtuntur, inania eſſe contra infideles, cum, quia non ſunt in communione eccleſiæ, excommunicari non poſſint. Interim certos enumerant caſus, qui vel contra fidem ſunt, vel vbi in eius contemtum quid committi poteſt: in quibus nouo iure inquiſitoribus hæreticæ prauitatis ius procedendi contra infideles datum, præſertim cum horum inquiſitorum proceſſus criminalis ſit, & in effectu ad vltimum ſupplicium tendat. Imo Papam ſibi *directo* poteſtatem in omnes infideles vindicare, ex iis, quæ in *prolegomenis* dicta ſunt, liquet, adeo vt adhuc hodie Epiſcopos, Archiepiſcopos & Patriarchas in partibus *infidelium* conſtituat, pro iure in horum ditionibus, quæ olim eccleſiæ ſubfuere, ſibi conſeruando vel aſſerendo. Quin quod paſſim Papa infidelibus etiam *exercitium religionis* conceſſiſſe legatur vi iuris vniuerſalis, quod in religionem & eius exercitium ſibi vindicat. Memorabile huius rei exemplum occurrit apud LEIBNITIVM *tom. I. diplom. Cod. n. 196.* de Papa SIXTO IV. qui ad Soldanum Babyloniæ *anno 1483.* ſcribens refert, Saracenos ſub FERDINANDO Catholico, ſemet approbante, in Hiſpania publicum habere religionis exercitium, cum hac tamen

Pontificii per indirectum poteſtatem eccleſiæ adſcribunt in infideles.

men reſtrictione, *ne ex altiori turrium parte Mahumetem alta voce inuocarent*, ſeque nullo modo admiſſurum eſſe, quod quidam per *mendacium* Soldano retulerunt, vt Meſchitæ eorum demolirentur. Nunquam SOLDANVS, meo iudicio, ad Papam eo nomine ſcripſiſſet, niſi cognitum habuiſſet, ab ipſo religionis exercitium & iura per orbem chriſtianum dirigi, & ſine eius approbatione infidelibus tale exercitium publicum ſacrorum permitti haud poſſe.

§. VII. Quod ſi hanc quæſtionem ſecundum principia Proteſtantium, & naturam *ſupremæ poteſtatis in ſacra* examino, facilius omnes ſuperari poſſunt difficultates. Eſt videlicet hæc ſummæ poteſtatis ratio, vt ſe ad quaſcunque ſubditorum actiones extendat, & ſic quoque inſpectionem in *ſacra* ſubditorum, & collegia eo nomine inſtituta contineat, nullo habito diſcrimine, vtrum princeps ei religioni addictus ſit, nec ne; quod nec diffitetur BRVNNEMAN. *de iure eccleſ. lib. I. cap. 2. §. 26.* Generatim enim princeps, iudice PVFENDORFFIO *de habitu relig. ad vit. ciuil. §. 44. & 49.*, videre & præcauere debet, ne quid in his collegiis in præiudicium ſuæ reipublicæ agatur. Sane qui principibus ius circa ſacra vel tanquam *primario eccleſiæ membro*, vel ſub qualitate *Epiſcopi* tribuunt, per indirectum principi ius circa *ſacra peregrina* adimunt, cum nec membrum primarium illius religionis dici poſſit, nec Epiſcoporum poteſtas vltra eccleſiæ limites ſeſe extendat. Abſtinendum ergo potius ab his erroneis principiis, prout etiam obſeruat Dn. BVDDEVS *in theol. moral. P. II. c. 3. ſect. 7. §. 21. in f.* & ex natura *ſupremæ poteſtatis* principibus ius etiam circa *ſacra infidelium*, eo quo dixi ſenſu, attribuendum eſt. In hoc tamen hæc collegia ſacris peregrinis addicta ab eccleſiis publice approbatis vt plurimum differunt, quod magiſtratus illorum ſacrorum curam non adeo ſuſcipere ſoleat, vt non diffitetur PVFENDORF. *cit. loc. §. 39.* non quod minus iuris in ea habeat, ſed quod vt plurimum ſacris infidelium non ſoleat eſſe intentus, vtpote quæ reprobat, & erronea eſſe credit, prout etiam olim gentiles Imperatores nullam

Principi etiam competit ius circa ſacra infidelium

adeo ſacrorum Chriſtianorum curam geſſerunt. Interim hæc praxis non imminuit ius principibus Proteſtantibus, ea potius oſtendit, illos etiam de ſacris gentilium leges ferre, & quæ noxia reipublicæ videntur, euellere poſſe, quod illuſtri exemplo comprobatum dedit Auguſtiſſimus Rex Boruſſiæ glor. mem. *in conſtitutione de præcibus iudæorum* anno 1703. lata, & a Dn. PRAESIDE in *diſſert. de cauta iudæor. toler.* §. *19.* adducta. Cauendum itaque ne temere a poteſtate *Epiſcoporum* ad *iura Principum Proteſtantium* in hac doctrina argumentum ducamus, præſertim cum ratio diuerſitatis euidens adſit. Scilicet infideles in republica degentes ſunt ſubditi principum, eorumque legibus reguntur; ſed non dicuntur eſſe de *eccleſia*, & ſic Epiſcoporum, qua talium, ſubditi non ſunt, nec hi ſacra eorum dirigunt. Plus poteſtatis itaque Principibus Proteſtantibus exemplo Imperatorum in *ſacra infidelium* permiſſum eſt, quam Epiſcopis, qui ipſimet poteſtatem ſuam reſtringunt ad ſacra Chriſtianorum qua talium, & ſe *præſides eccleſiæ* dicunt, extra quam infideles ſunt. Ex hac ratione quoque dependet, quod iudæi ceterique infideles non ſint ſubiecti *iudiciis Epiſcoporum Eccleſiaſticis*, ſed tantum ſecularibus, (qualia etiam Epiſcopi non qua tales ſed qua principes imperii exercent:) vt conſtat ex *cap. 14. X. de iudic.* ne quidem in cauſis, quæ alias ad *forum eccleſiaſticum* tractæ ſunt, *quod de eorum animabus non curandum ſit, iuxta Paulum 1. Corinth. 1. de his qui foris ſunt quid ad nos?* vt philoſophatur GONZALEZ *ad cap. 12. X. de vſur. num. 2.* in quo tamen paulo mitius iudicium fert SIMON MAIOLVS, Epiſcopus Vulturarienſis *tom. III. dier. canicul. colloq. 1. p. 585.* Si quid ergo commiſerint, quod cenſuris eccleſiaſticis ſubiectum eſt, cauſa remittitur ad *iudicem ſecularem*, & ab eo ſatisfactio quæritur; hanc ſi neglexerit, Chriſtianis omnibus per *cenſuram eccleſiaſticam* interdicitur, ne cum tali infideli, antequam ſatisfecerit, præſumant commercia exercere. Hæc eſt methodus, quæ præſcribitur in *cap. 14. X. de iudæis*, & *c. 12. X. de vſur.* Imo in concil. Lambethenſi

[Margin: quod minime ex iure Epiſcopali deriuandum]

[Margin: Infideles non ſubiiciuntur iudiciis eccleſiaſticis.]

thenſi *anno 1261.* apud HARDVINVM *tom. VII. concil. p. 541.* noua plane & ratione extraordinaria cautum, vt iudæi delinquentes *in rebus eccleſiaſticis per interdictum commercii, contractuum & conuentionis fidelium ad reſpondendum in his caſibus coram eccleſiaſtico iudice compellantur; inhibentes vero & impedientes in hoc caſu iurisdictionem eccleſiaſticam* (iudices ſeculares ſine dubio intelligunt) *& hac de cauſa iudices vel alios diſtringentes & moleſtantes per excommunicationis & interdicti ſententias arceantur.* In Anglia id quidem conſtitutum eſt; vix tamen probabile, vt in praxin deduci potuerit, cum generalis eccleſiarum ceterarum praxis ab hac conſtitutione diſcreparet. Inter Proteſtantes quoque hæ cauſæ, quæ alias quoad Chriſtianos in conſiſtorio pertractantur, ad *iudices ſeculares* referuntur, præſertim cum in plerisque locis *proprios* habeant *iudices*, qui de ipſorum contentionibus iudicant, niſi forſan cauſa grauior & ardua fuerit, quæ *ius circa ſacra* tangit, quæ immediate ad principem refertur.

nec inter proteſtantes.

§. IIX. Ex hoc principio porro colligunt, iudæos haud ligari conſtitutionibus eccleſiaſticis, quæ ab *eccleſia* ſeu *clericis* feruntur ad directionem regiminis ſpiritualis, quorſum omnes illæ cauſæ ſpectant, quæ ſub hoc prætextu ad forum eccleſiaſticum ſunt tractæ. Ait Pontifex in *c. 8. X. de diuort. Infideles conſtitutionibus canonicis non arctantur: quid enim ad nos ſecundum Apoſtolum de his, quæ foris ſunt iudicare?* Proinde gradus in matrimonio prohibiti de iure Canonico infideles non ligant, qui ſecundum *legis veteris* inſtitutum matrimonium contrahere poſſunt iuxta *c. 6. de conſang. & affinit.* & *c. 15. X. qui fil. ſunt legit.* Quia vero ius canonicum plura quoque determinat, quæ *cauſas* mere *ſeculares* tangunt, & ius ciuile vel corrigunt, vel reſtringunt, infideles quoque eisdem legibus ſubiiciunt, quatenus vt pars iuris communis cenſentur, quo etiam infideles ligantur. *l. 8. C. de iudæis.* conf. RICCIVLL. *lib. II. cit. tr. cap. 14.* Hæc ſi applicantur ad terras Proteſtantium, in quibus iudæi vel alii infideles viuunt, facile liquet

Infideles exemti dicuntur a conſtitutionibus eccleſiaſticis.

niſi negotia ſecularia determinent

de praxi proteſtantium

liquet, paulo diſtinctius hic procedendum eſſe. Partim enim *iure communi*, partim *iure proprio* vtimur. Illud ex iure *Romano* & *Canonico* deſumitur, nec dubium eſt, quin etiam in cauſis *infidelium* locum ſibi vindicet, quatenus *negotia* mere *ſecularia* concernit, quia iure Canonico vtimur, non quatenus ab *eccleſia* latum eſſe dicitur, ſed quatenus vt *ius commune* in terris noſtris retentum eſt. Hac de cauſa diſpoſitio iuris Canonici, *proceſſum* concernens, præſcriptionem, aliaque, ſtringit quoque infideles. Ceterum quæ cauſæ mere ſeculares dicendæ ſint, non vnice ex iure Canonico, ſed praxi inter Proteſtantes vſitata iudicandum, quæ non raro a iure Canonico recedit. Cauſas *iuramentorum* Pontificii ad ſuum forum trahunt, quas noſtrates foro ſeculari priuatiue vindicant, vtut de cetero ſententiam iuris Canonici de *efficacia iuramentorum*, actibus inualidis adiectorum, ſequantur. Vnde quæſtio emergit: *an iuramenta iudæorum aliorumque infidelium firment actus alias iure ciuili nullos*, veluti an donatio inter coniuges infideles iuramento firmata ſubſiſtat, & pacta de non ſuccedendo iurata inter illos vigorem ſuum habeant? Quod negant plerique, vt MARQVARDVS *de iudæis part. II. cap. 8. num. 8.* TIRAQVELLVS *de primog. qu. 66. n. 32.* MANTICA *de tacit. & ambig. conuent. n. 58.* quod hoc iure Canonico ſit conſtitutum, ad euitandum diſpendium ſalutis æternæ; iudæi autem & infideles iis conſtitutionibus, quæ reſpiciunt ſalutem animarum, non ſint obſtricti, vt MANTICA philoſophatur. Verum enimuero inter Proteſtantes hanc rationem non admittimus, inter quos ius canonicum robur ſuum habet ex *recepto*; & vt *ius commune* valet, haut attendentes, in quorum ſalutem hoc Pontifex ſtatuerit. Cum ergo iudæi ceterique infideles *iure communi* viuere cogantur, merito quoque in hac cauſa eodem iure vti debent. Accedit, quod etiam ius ciuile nouiſſimum iuramentis vim nouam addiderit, & ius canonicum approbauerit, vt liquet ex *authent. Sacramenta puber. C. ſi aduerſ. vendit.*

Ligantur etiam iure canonico, quatenus ius commune in cauſis ſecularibus conſtituit.

an diſpoſitio iuris canonici de efficacia iuramentorum etiam ad infideles pertineat?

quod affirmatur.

§. IX.

§. IX. Reliquæ cauſæ, quæ etiam inter nos *eccleſiaſticæ* alias dicuntur, intuitu *infidelium* non ſunt eiusdem generis. Quædam enim ex ſpeciali ratione ſiue *vera*, ſiue *putatiua*, *eccleſiaſticis* annumeratæ ſunt, quæ intuitu *infidelium* pro talibus haberi nequeunt, vel ad minimum eorum fauorem non concernunt. Proinde diſtinguenda ſunt ipſa negotia. Quædam, quæ intuitu Chriſtianorum *certo modo* eccleſiaſtica dicuntur, reſpectu infidelium a nobis vt mere *ſecularia* iudicantur. Huc refero *cauſas matrimoniales* & ſponſaliorum, & quæ inde fluunt concluſiones, quæ ius Canonicum ideo *cauſis eccleſiaſticis* accenſuit, quod ſacramentum vnionis Chriſti cum eccleſia ſub matrimonio repræſentetur. Hæc ratio ceſſat in matrimonio infidelium, quod quidem *legitimum* & *verum* eſſe matrimonium aiunt, ſed non *ratum*. Ita cenſuit Pontifex in *c. 7. X. de diuort.* aiens: *Nam etſi matrimonium verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratum: inter fideles autem verum & ratum exiſtit, quia ſacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit coniugii ſacramentum, vt ipſum in coniugibus illo durante perduret.* Hæc vnica ratio eſt, quod cauſæ matrimoniales iudæorum *foris ſecularibus*, non *eccleſiaſticis* vindicentur, & coniugia inſtar *ſocietatum* mere *ciuilium* habeantur. Equidem Proteſtantes ſacramentum matrimonii haud admittendum cenſent; a concluſionibus tamen inde deductis non prorſus abſtinent, vt oſtendit B. STRYCKIVS in *diſſ. de reliquiis ſacramenti in cauſ. matrim.* Inde non adeo liquido conſtat, quo iure matrimonia infidelium regi debeant? Sunt *leges matrimoniales* non vnius eiusdemque generis. Quædam adhuc originem trahunt ex *ſacramento matrimonii*, quædam vero nullam cum eo connexionem habent. Illuc pertinet *ſuo modo* doctrina de *indiſſolubilitate matrimonii*, & quod hoc ad *forum eccleſiaſticum* pertineat: tales leges matrimoniis infidelium applicari nequeunt, id quod ex iure Canonico retentum eſt. Qua de cauſa *diuortia* hodie inter eos facilius fieri poſſunt, imo crederem,

Non omnes cauſæ eccleſiaſticæ quæ inter nos tales ſunt, infidelium quoque intuitu tales eſſe putantur

vt cauſæ matrimoniales

quo iura matrimonia iudæorum regi debeant.

 biga-

bigamiam ab iis contractam non tam ſeuere puniendam eſſe, quam inter Chriſtianos. Pœna capitalis ideo iure Carolino conſtituta eſt, quia non tantum *adulterium* continet, ſed præterea aliud grauius crimen, *ſacrimenti* ſc. *matrimonialis profanationem.* Hoc in *artic. 121.* verbis: in Geſtalt der heiligen Ehe, denotatum videtur, quod ſecundum communem hypotheſin *infidelibus* applicari nequit, quorum matrimonia haud ſunt *ſancta* dicenda, ſed *mere* negotium *profanum.* Ad poſteriorem claſſem pertinent *leges* gradus matrimoniales determinantes, quæ inter Proteſtantes non ex *iure Canonico* petuntur, ſed *ſpecialibus conſtitutionibus* determinantur. Hiſce etiam ligantur iudæi, & olim quoque ex Imperatorum conſtitutione obſtricti fuerunt, *l. 7. C. de iudæis*, vt adeoque ad minimum inter Proteſtantes libertate contrahendi matrimonia *ſecundum legem Moſaicam* abſolute non gaudeant. Imo ne quidem *polygamia* illis amplius permiſſa eſt per *cit. l. 7.* HAHN. *in Diatagm. iudæor. §. 12.* Quamuis enim ex *doctrina Chriſti* fideles *polygamiam* reprobent, & leges poſitiuæ quoque ſe in eo fundare videantur, non tam vnice hanc, ſed *proprias* & *domeſticas* rationes habent. Docent antiquitates, monogamiam inter populos occidentales ſemper commendatam & vſitatam fuiſſe, cum orientalibus polygamia potiſſimum in vſu fuerit. Hi mores eo magis inter Chriſtianos poſtea corroborati ſunt, quod doctrinæ Chriſti conformes ſint, & *rationes* plures quoque *ciuiles* monogamiam ſuadeant. Merito ergo iudæi quoque legibus generalibus monogamiam imperantibus tenentur, cum rationes ciuiles haud admittant, vt eorum polygamiam inter nos tolerare poſſimus, ad quam ceteræ leges ciuiles haud ſunt accommodatæ, quæ vbique *monogamiam* ſupponunt.

De negotiis piis, quæ etiam intuitu infidelium tales ſunt.

§. X. Porro quædam negotia, quæ Chriſtianis *eccleſiaſtica* dicuntur, vel *pia*, etiam intuitu infidelium accenſeri *piis* poſſunt. Diſpoſitiones ad *pias cauſas* huc referri poſſunt, quæ ius noſtrum *foris eccleſiaſticis* etiam ideo vindicat, quod intuitu ſingularis *pietatis* vel *quaſi* factæ ſint,

qua de cauſa etiam plura priuilegia iis tributa ſunt. Nec putandum eſt, infidelibus diuerſam hac de re eſſe ſententiam, qui quod templis, ſynagogis, vel vt dicitur in *l. 1. §. 5. ad leg. falcid.*, *quæ Deo relinquuntur*, vel etiam *pauperibus*, ſine dubio pia fore aſſerent. Vnde dubium haud leue exſurgit, an etiam priuilegia, diſpoſitionibus piis data, ad infidelium teſtamenta trahi debeant? BARTOLVM & BALDVM magnopere inter ſe hac de quæſtione diſcrepaſſe, teſtis eſt RICCIVLLVS *lib. II. cap. 13. cit. tr.* Equidem gaudent infideles *iure communi*, & ſic quoque priuilegia iure communi indulta iis denegari nequeunt, quod etiam de *iure Canonico* dicendum, quatenus in noſtris territoriis vt *ius commune* receptum eſt, & iudæorum cauſis quoque applicari poteſt. Iam vero conſtat illorum teſtamenta cenſeri *iure communi*, adeo vt etiam inter liberos iure priuilegiato diſponere poſſint. Vid. B. STRYCK. *de cautel. teſtament. cap. 10. §. 2. in fin.* Verum enimuero in priuilegiis recte diiudicandis ſemper attendendum, in quorum fauorem data ſunt, vltra quem tanquam *ius ſingulare* extendi nequeunt, quin potius quoad reliquos, quos idem fauor non reſpicit, ſubſiſtendum in iure communi. Iam vero nemo negabit, priuilegia, piis cauſis attributa, primario vel *eccleſiam* vel *clericos* reſpicere, nec aliam *pietatis* rationem admiſſam fuiſſe, quam quæ *religioni Chriſtianæ* conueniens viſa eſt. Infidelium ſacra, templa, ſynagogæ, & opera miſericordiæ ipſa nulla pietate conſtare iudicantur, quod ex *ſuperſtitione*, *errore*, vel *peruerſo religionis conceptu* originem trahant, adeoque non probabile eſt, legislatores, priuilegia talia indulgentes, ad infidelium diſpoſitionem quoque reſpexiſſe. Equidem ſacra eorum inter Chriſtianos tolerantur, ſynagogæ quoque ſuis immunitatibus conſtant, vt infra declarabo, & quod quoad nos *pium* eſſe iudicamus, quoad illos *profanum* iudicare haud poſſumus. Verum de eo *primario* haud eſt quæſtio: in eo potius κρινόμενον conſiſtit, an intententio eorum, qui piis cauſis priuilegia dederunt, tam generalis fuerit, vt *infidelium* diſpoſitiones eodem iuri frui

an priuilegia piarum cauſarum etiam ad diſpoſitiones infidelium pertineant?

 volue-

voluerint? tolerantur *ſacra* iudæorum, non approbantur, non *pia* iudicantur. Fruuntur ſynagogæ quibusdam immunitatibus, non vero in vniuerſum illis, quæ *eccleſiis* datæ ſunt. Denique planum manifeſtumque eſt, quod leges, quæ de *piis diſpoſitionibus* loquuntur, vnice *Chriſtianorum*, non *infidelium* teſtamentis proſpexerint. Vnde ad infideles adhuc applicandum, quod dicitur in *l. 1. §. 5. ad leg. falcid. etiam ad ea, quæ Deo relinquuntur, lex falcida pertinet.*

Negotia cultum ſacrum infidelium reſpicientia proprio reguntur iure

§. XI. Denique ſunt quædam negotia, quæ vnice cultum ſacrum eiusque exercitium reſpiciunt, vel intime ex *principiis religionis* fluunt tam inter *fideles* quam *infideles*. Atque hæc quidem propriis ſuis peculiaribusque legibus conſtant, adeoque quæ ſacris Chriſtianorum iura ſunt dicta, ſiue *iure communi*, ſiue *prouinciali* fuerint determinata, ad *ſacra iudæorum regulariter* non ſpectant, quia hac intentione haud fuerunt condita, vt quibuscunque ſacris applicarentur, cum ne quidem omnia iura eccleſiaſtica inter Chriſtianos ita ſint comparata, vt cuiuscunque ſectæ ſacris applicari poſſint. Diſtamus in plurimis a principiis Catholicorum, quæ impediunt, quo minus *iura canonica* indiſtincte ſacris noſtris applicare poſſimus. Multo minus ergo *iura noſtra eccleſiaſtica*, quæ vnice rem diuinam Chriſtianorum determinant, ſacris peregrinis infidelium, quibus ne quidem data ſunt, applicari poſſunt. Atque hæc quoque ratio eſt, quod ne quidem iura ex *theologia gentilium* deducta, in praxin deducere poſſimus, vtut in collectione IVSTINIANI adhuc appareant ex TRIBONIANI imprudentia, quod qui non animaduertunt, næ grauiter meo peccant iudicio. Quid enim abſurdius eſt, quam leges, ex *gentilium religione* & *pagana ſuperſtitione* deductas in ius eccleſiaſticum Chriſtianorum trahere velle, qui tamen prorſus talia gentilium dogmata reſpuunt, reprobant, damnant. Interim tamen animaduertimus, amorem iuris Iuſtinianei interpretes ſæpe auertere a vero ſcopo, & in deuia deducere, quod paucis declarandum eſt.

Vnde nec leges ex ſuperſtitione gentilium pendentes ſacris noſtris applicari poſſunt

§. XII.

§. XII. Ait CAIVS, ICtus gentilis, in *l. 18. D. de in ius voc.* nullum de domo ſua in ius vocare licere, *quia domus tutiſſimum cuique refugium atque receptaculum ſit.* Eſt hæc concluſio ſine dubio ex principiis *gentiliſmi* deducta, ſecundum quæ ſingularis *ſanctitas* ædibus inhærebat, & peculiaris religio Diis Penatibus debebatur. *Quid ſanctius,* ait CICERO *oratione pro domo ſua* ad pontifices, *quid omni religione munitius, quam domus vniuscuiusque ciuium? Hic aræ ſunt, hic foci, hic Dii Penates, hic ſacræ religionis ceremoniæ continentur: hoc perfugium eſt ita ſanctum omnibus, vt inde abripi nemini fas ſit.* Omnem Chriſtianæ religionis ſenſum ſine dubio deponeret, qui in hac concluſione ſubſiſtendum eſſe aſſerere vellet. Sic etiam theologiæ gentilium meræ debetur diſtinctio rerum, quod aliæ ſint *diuini iuris,* aliæ *humani,* & quod quæ *diuini iuris* ſunt, *nullius* in bonis eſſe credantur, iuxta CAIVM in *l. 1. pr. de rer. diuiſ.* conf. *l. 6. §. 2. 3. & 4. & l. 9. §. 2. de diuiſ. rer.* In ea videlicet gentiles erant ſententia, poſſe Diis quasdam res attribui addicique, vt in eorum proprietatem caderent, & conſequenter *nullius* in bonis eſſe poſſent, adeo vt ſi vel maxime ædificium conſecratum dirutum eſſet, *locus* nihilominus *ſacer* & *nullius* maneret, *l. 6. §. 3. de R. D.* quod etiam IMPERATOR ex ſuffragio PAPINIANI, ICti Ethnici, repetiit in *§. 8. Inſtit. de R. D.* Enimuero talem conceptum de rebus ſacris, ſalua ratione Chriſtianiſmi, habere non poſſumus, qui nouimus, omnia eſſe Domini, nec poſſe eidem tanquam poſſeſſori rerum immobilium proprietatem quandam talem aſſignari. Etiam res quædam, quæ nobis *ſacræ* dicuntur, dantur, quæ tamen tantum ex *fine* & *vſu* hanc denominationem acceperunt, ſed intuitu *proprietatis* non ſunt *iuris diuini,* ſed *humani,* pertinentque ad *patrimonium vniuerſitatis* illius, cuius gratia ædes ſacræ cum aliis acceſſoriis exſtructæ ſunt. Similiter *religioſa* qualitas ſepulchrorum peperit ſententiam admodum erroneam, effecitque, vt etiam res religioſæ *diuini iuris* & *nullius* in bonis dicerentur. *l. 1. pr. de R. D.* Ex hoc principio plures adhuc ſuperſunt concluſiones in

quod variis illuſtratur obſeruationibus exemplisque.

quod exemplo religioſarum rerum & ſanctarum vlterius illuſtratur.

tit. de religioſis, quod tamen ſummam ſapit idololatriam. Ea quippe veneratio Romanis erga Deos Manes, h. e. *animas defunctorum* a corpore ſeparatus erat, vt monumenta iis extruerent in loco, quo cadauer erat conditum, magnumque religionis cultum exhiberent. Ait SENECA *epiſt. 86. in ipſa Scipionis Africani villa iacens hæc tibi ſcribo, adoratis Manibus eius & ara.* Ipſum ſepulchrum his defuncti Manibus conſecratum erat, hac de cauſa *diuini iuris* & *nullius* in bonis dicebatur, vnde & ſanctitatem ei CICERO *Philip. IX. c. 6.* tribuit, aiens: *ſepulchrorum ſanctitas in ipſo ſolo eſt*, quia, vt philoſophatur VLPIANVS in *l. 4. de religioſis, locus ad mortuum pertinere videtur, in quem illatus eſt.* Quod autem *defuncti*, quod eorum Manium eſſe videbatur, id in *nullius* hominis bonis eſſe poterat, adeoque nec hæreditati ineſſe credebatur iuxta *l. 42. §. 1. ad SCt. Trebell.* Quis vero inter Chriſtianos, ſanioribus principiis imbutos, in hoc hæreret luto, ſolius iuris IVSTINIANEI amore, cum tamen infidelium & paganorum religionem irrideamus, eamque reprobemus? Et quid denique de *rebus ſanctis* dicam, vel de peculiari *ſanctitate*, quam muris, portis, vallisque *religio gentilium* conciliauit, & propter quam *diuini* etiam *iuris* dicuntur CAIO in *l. 1. pr. de R. D.?* Erant enim muri portæque *Diis* certis *tutelaribus* dedicati, vnde etiam gentilibus ſolenne erat, vt vrbem expugnaturi *Deos tutelares* euocarent ſolenni carmine, quod refert MACROBIVS *lib. III. Saturnal. cap. 15.* quod aut aliter eam capi non poſſe crederent, aut etiam ſi poſſet, nefas exiſtimarent, Deos captiuos habere. Teſtis eſt PLINIVS *lib. XXVIII. cap. 2. Ferreus Flaccus autores ponit, quibus credat in oppugnationibus ante omnia ſolitum a Romanis ſacerdotibus euocari Deum, cuius in tutela id oppidum eſſet, promittique illi eundem aut ampliorem locum apud Romanos cultumue. Durat in Pontificum diſciplina id ſacrum, conſtatque ideo occultatum, in cuius Dei tutela Roma eſſet, ne qui hoſtium ſimili modo agerent.* Teſtis etiam eſt VLPIANVS in *l. 9. §. 1. in fin. de rer. diuiſ.* aiens: *ſolent qui liberare eum locum religione volunt, ſacra inde euocare;* quod vlterius illuſtrant

PETRVS

PETRVS FABER *lib. II. Semeſtr. cap. 4.* & Dn. COCCEIVS *diſſ. de euocatione ſacror. cap. 1.* Proinde non adeo mirandum, quod gentiles pœnam capitalem iuxta *L. fin. de R. D.* in *murorum violatores* poſuerint, quippe qui ſecundum hæc principia *Sacrilegium* committebant. Eadem de cauſa quoque grauiſſima pœna in eos, qui circa *terminos* quid deliquerent, ſtatuta eſt, quod *Diis terminalibus* eſſent conſecrati, quos itidem adorabant. Ex hoc principio TIBVLLVS *lib. I. Eleg. 1.* ita canit:

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris
Seu vetus in triuio florea ſerta lapis.

Horum *vnctorum* & *coronatorum lapidum* mentionem iniicit MINVTIVS FELIX *in Octau. p. m. 20. edit. Gronou.* vbi OVZELIVS *in not.* hæc addit: *vnctos vocat lapides Octauius, quia gentibus in more poſitum erat, lapides quos pro Diis vialibus & terminalibus colebant, vnguentis delinire.* Quis vero hos veteris paganismi errores & infidelium ſomnia in vſum reuocaret inter Chriſtianos, qui idololatriam eiurarunt? Longum vtique foret ire per ſingulas concluſiones, quæ in Pandectis ex *theologia gentilium idololatrica* ſuperſunt, quarum collectioni non vlterius immorabor.

Inde leges ex religionis principiis deductæ illis ſunt relinquendæ, quamdiu toleratur talis religio.

§. XIII. Liquet ſane ex hactenus dictis, leges ciuiles plurimas principiis *religionis*, quibus eadem ciuitas vel populus imbutus eſt, inniti, quæ illi, quam diu eidem religioni adhæret, ſaluæ & integræ relinqui debent, vt ſecundum eas iudicentur. In effectu enim eiurare religionem cogerentur, ſi leges, religioni ſuæ contrarias, amplecti tenerentur, ſi infideles ex *formula noſtræ religionis* etiam in commerciis ciuilibus agere obſtricti eſſent. Proinde quia *iuramenta* ſunt religioſa aſſertio, qua inuocatur Deus in vindicem & teſtem, & ſic ſecundum *principia religionis*, quam iurans profitetur, iurandum, euidens eſt, iudæos aliosque infideles in foro Chriſtianorum non iurare ſecundum *ius commune* aut *formulam* apud Chriſtianos receptam, ſed iudæi quidem ſecundum legem Moſis, ex qua formula peculiaris iis præſcripta in ORDINAT. CAMER. *P. I. tit. 56.* Aliam ſolen-

Vt formula iuramentorum declaratur.

ſolenniorem formulam exhibet Dn. PRAESES *in iure eccleſiaſt. Proteſt. lib. II. tit. 20. §. 34.* Et tamen, quod mirandum eſt, ne quidem olim hoc obſeruatum fuit. Obſeruat id ipſum BASNAGE *dans l'hiſtoire des Iuifs lib. IX. cap. 23. §. 14.* oſtenditque ipſos gentiles in eo erraſſe, iudæisque formulam iuramenti ſuæ religioni propriam impoſuiſſe, vt iurarent per *genium principis* & *templa tonantis*, qua formula tamen ſuam conſcientiam haut ſtringi iudæi credebant. Et quid dicam de gentilibus? vix cautiores maiores noſtri fuerunt hac in cauſa, quod idem BASNAGE *cit. loc.* illuſtrat exemplo Patriæ meæ, in qua iudæi iurare coacti ſunt per *nomen Sanctorum*, per *B. Mariam*, & *filium Dei*, quod cum tandem ſine effectu eſſe animaduerſum fuit, ao. 1285. corrigi debuit.

Leges infidelibus dandæ ad eorum religionem accommodandæ.

§. XIV. Quocirca ſi quæ leges circa ea quæ *cultum* eorum concernunt, a principe vi *iuris ſummi circa ſacra* præſcribendæ ſunt, ad eorum religionem accommodari debent, ne alioquin vis religioni inferatur. Obſeruarunt id ipſum Imperatores in *l. 2. C. de iud.* conſtituendo: *ne in feſtiuitatibus aut ſabbathis ſuis iudæi corporalia munera obire, nec quicquam facere cogantur, neque propter publicam priuatamque cauſam in ius vocentur.* Idem quoque cautum eſt in *l. 13. C. eod. Die Sabbathi ac reliquis ſub tempore, quo iudæi cultus ſui reuerentiam ſeruant, neminem aut facere aliquid aut vlla ex parte conueniri debere, præcipimus.* Nec ius Canonicum ab hac ſententia receſſit, ſed in *c. 9. X. de iud.* conſtituit, *ne in feſtiuitatum ſuarum celebratione vllatenus perturbentur.* Inde quoque IVSTINIANVS in *Nouell. 46. c. 1.* conſtituit, vt *ſacra biblia quacunque in lingua legant, & ſecundum hæc viuant & conuerſentur.* Addidit tamen: *eam vero, quæ ab iis dicitur, ſecunda editio* (h. e. lex ſecundaria quam *Miſne Tohra* vocant) *interdicimus omnino, vtpote ſacris non coniuncta libris, neque deſuper traditam de Prophetis, ſed inuentionem conſtitutam virorum ex ſola loquentium terra, & diuinum in ipſis habentium nihil.* Verum quia *hæ traditiones iudaicæ*, quas *legem ſecundariam* vocant, hodiernam eorum religionem admodum informant determinantque, inde non

non mirandum eſt, hanc IVSTINIANI legem in vſum non fuiſſe deductam, obſeruante HAHNIO *in Diatagm. iudæor. theſ. 17. in not.* Rurſus hæc cauſa ſeculo XVI. reuocata eſt, PFEFFERKORNIO, iudæo conuerſo, apud MAXIMILIANVM Imperatorem ſollicitante, vt libri iudæorum fabuloſi comburerentur. Non deerant, qui eius cauſam agerent, idemque ab imperatore ſummis contenderent precibus. Imperator tamen, vtut in hanc inclinaret ſententiam, eam exequi noluit, re nondum ſatis examinata, ſed quosdam Doctores, inter quos etiam REVCHLINVS erat, delegauit, vt momenta huius cauſæ ponderarent. REVCHLINVS libros quidem, quos NIZZACHON & TOLDOS IESCHV vocant, comburendos credidit, non ceteros, quod mox crimini ipſi datum, adeo vt ab HOCHSTRATO, *inquiſitore hæreticæ prauitatis* (Ketzer-Meiſter vt vocatur in reſcriptis Cæſareis) publice hæreſeos poſtulatus fuerit. Accuſatione hac ad Electorem Moguntinenſem delata, REVCHLINVS fuit condemnatus, qui tamen ad Pontificem mox appellauit. Dedit hic Epiſcopum Spirenſem iudicem delegatum, coram quo ſuam cauſam REVCHLINVS adeo egregie egit, vt abſolutus fuerit, HOCHSTRATO in expenſas condemnato, quamuis Colonienſes & Pariſienſes a partibus eius eſſent, quorum mores admodum ſalſe perſtringuntur in *literis obſcurorum virorum*, pro cauſa REVCHLINI contra HOCHSTRATVM ceterosque magiſtellos ei adhærentes ab HVTTENIO editis. In ipſa controuerſia ſcripta varia eo tempore publicata ſunt, nouiter edita ab HERMANNO VAN DER HARDT Profeſſore Helmſtadienſi celeberrimo, *P. II. Hiſtor. literar. reformat.* quæ iam anno 1512, 1514. &c. antiquis typis edita fuere, vt ex antiquo libro, mihi communicato, obſeruaui. Acta hæc optime cauſam hanc, quam hic ago, illuſtrare poſſent, ſi quæuis eius momenta referre & examinare liceret, id quod in tanta rerum vbertate, qua circumſeptus ſum, haud licet.

§. XV. Cetera, quæ religioni haud ſunt propria, ſed pro lubitu aſſumta, aut in abuſum tracta, recte prohibentur, ceu factum in *l. 11. C. de iudæis*, vbi merito iudæis inter- **In rebus indifferentibus princeps quædam re-**

 dicun-

ꝏte determinat. dicuntur, quæ in contemtum Chriſtianæ religionis ab illis inuenta erant. Verba legis hæc ſunt: *Iudæos quosdam feſtiuitatis ſolemnia ad pœnæ quondam recordationem incendere, & ſanctæ crucis adſimulatam ſpeciem in contemtum Chriſtianæ fidei ſacrilega mente exurere, prouinciarum rectores prohibeant: neue locis ſuis fidei noſtræ ſignum immiſceant, ſed ritus ſuos circa contemtum chriſtianæ legis retineant, amiſſuri ſine dubio permiſſa hactenus, niſi ab illicitis temperauerint.* In *Codice Theodoſiano*, & quidem in *l. 18. de iudæis* verba huius textus in ſua ſiſtuntur integritate, maxime initialia, quæ genuinam legis mentem manifeſtant. *Iudæos*, verba ſunt, *quodam feſtiuitatis ſuæ ſolemni, Aman, ad pœnæ quondam recordationem* &c. Docent hæc verba, feſtum, quod in memoriam ſalutis, per Eſtherem recuperatæ, & recordationem ſupplicii Hamanis iudæi inſtituere, ESTHER. VIII. ſeqq., his prohiberi verbis, quod tripudiis iocisque iudæi celebrare, præterea AMANEM incendere, & ſanctæ crucis aſſimulatam ſpeciem ſeu patibulum quoddam exurere ſolebant, id quod in *contemtum Chriſtianæ religionis* faciebant, vt vel ex SOCRATE *lib. VII. hiſt. eccleſ. cap. 16.* conſtat. conf. BASNAGE *dans l'hiſtoire des Iuifs lib. VIII. c. 6. §. 1.* Pari ratione in *l. 14. C. de iudæis* illis iniunctum, *ne inſoleſcant, elatique ſui ſecuritate quicquam præcipites in Chriſtianam reuerentiam vltionis admittant.* Imo ſicuti ipſimet in Sabbathis ſuis aliisque feſtis diebus nulla afficiendi ſunt moleſtia, ita recte lege publica iis iniungitur, vt in feſtis Chriſtianorum, ipſaque die dominica Chriſtianos nullo modo turbent, negotiationemque exerceant, prout etiam in Gallia cautum eſſe refert FERMOSINVS *cit. l. n. 17. & 18.* Et vt omnis occaſio, Chriſti ſalutiferam paſſionem verbis vel factis iniurioſis lacerandi, illis adimeretur, recte quoque cautum, *ne in diebus lamentationis dominicæ paſſionis in publicum prodirent, eo quod nonnulli talibus diebus & ornatius non erubuerint incedere, ac Chriſtianis, qui ſacratiſſimæ paſſionis memoriam exhibentes lamentationis ſigna prætendunt, illudere non formidauerint. c. 15. X. de iud.* Simili ratione in *c. 4. X. eod.* iis interdictum,

dictum, *ne oſtia vel feneſtras in die Paraſceues apertas haberent, ſed clauſas tenerent tota die*, qua imprimis *ſolennes proceſſiones* fieri ſolebant, quas ludibrio ſuo iudæi habere poterant. Et quid magis præcauendum, quam ne in orationibus ſuis maledicta in Saluatorem & Chriſtianos euomant? Ea de cauſa ad principis ſupremam inſpectionem quoque *reformatio precum & cura repurgandorum librorum*, quibus vtuntur, pertinet, vt inter Chriſtianos quiete viuant, & ſemina odii tollantur.

§. XVI. Atque hæc & ſimilia *per ſanctiones publicas*, earumque *executiones* facilius in republica obtinentur, quam ſi *modis indirectis*, ad infidelium *contumeliam* & *publicum dedecus* compoſitis, vtamur, quos olim clerum adhibuiſſe, rudera antiquitatis hinc inde docent. Neque enim tales modi in republica permittendi ſunt, qui diſſidia augent, odia mutua alunt, & contemtui publico gentem, cuius ſacra tolerantur, & ſpes conuerſionis ſupereſt, exponunt, qui mos tamen, quod dolendum, inter ipſos Chriſtianos diſſidentes, qui *ſe fideles* dicunt, non adeo infrequens fuit. Inſimul quoque cauendum, ne princeps facile fidem adhibeat quibuscunque fabulis & falſis imputationibus, quas odium erga gentem iudaicam produxit, a quibus prælaudatus BASNAGE *in tr. ſæpe adducto* cum aliis eam vindicauit. Nec temere credendum iis, qui a iudaica ſuperſtitione ad nos tranſeunt, quippe qui odio ſectæ eiurate inaniſſima ſæpe commenta proferunt, vt ægre iis faciant, quorum odia non ſine ratione metuunt. Quid abſurdius eſt illa imputatione, qua IOHANNES PFEFFERKORNIVS, poſtquam iudaicos ritus reliquit, nomen tantum ſectæ mutans non animum, in *tr. hoſtis iudæorum* iudæos odio publico Chriſtianorum exponere voluit? Ait: *Si quando Chriſtianus iudæum adeat, ille eum cum excipit, ſpecie beneuola inquit ancipiti verbo teutonico:* **Seeth willkommen**, *quod eſt Sathanas veniſti bene & grate, cum Seth ſignificet diabolum.* Vſitata in Saxonia inferiori hæc eſt ſalutandi formula, non iudæis propria, ſed omnibus communis; quis vero huic interpretationi, quam

At publicum dedecus infidelium nihil permittendum.

Nec temere credendum vanis imputationibus maxime eorum qui ſe conuerſos dicunt.

quam odium peperit, crederet? Sed & de primo, quod adduxi, monito abuſus inſignis occurrit in quibusdam ciuitatibus, in quibus ſcropham in frontiſpicio templorum collocarunt, & iudæorum conſpectui obiecerunt, ne forſan limina templi profanarent, & loca ſacra acceſſu ſuo inquinarent. Plenius hanc rem eiusque cauſas depingit LAVRENTIVS FABRITIVS in *orat. de Schemhamphoraſch vſu & abuſu*, vbi de templo Wittebergenſi hæc habet: *Cum te iter a collegiis publicis per crates in cœmiterium detulit, videre licebit, ſi oculos eleuaueris, in extremitate muri prope tectum, porcam ſaxo inſculptam cum hac inſcriptione: Rabbini Schemhamphoras. Docet te inſcriptio non verum vſum, ſed abuſum ſchemhamphoras, non eo modo intellectum, quem priore oratione explicatum audiuiſti, ſed quem poſteriore oratione ſum perſecutus. Eam ob cauſam non nuda ſupra porcam ponitur inſcriptio ſchemhamphoras, ſed adiectum eſt vocabulum Rabbinorum, per quos non antiquiſſimos, eosque religioſiſſimos, doctores iudæos, qui religioſiſſime de IEHOVA, & eius expoſitione ſentiebant, intelliges: verum per Rabbinos intelligendi tibi veniunt doctores iudæi illi reprobi, excœcati, & infenſiſſimi hoſtes, qui virtutem edendorum miraculorum Chriſto ereptam, in blasphemum & mendaciſſimum ſuum ſchemhamphoras, cum ſumma ignominia Dei, & extrema ſua pernicie tranſtulerunt. Sed quid occurrit ſub inſcriptione illa? offertur porcæ ſculptæ imago: videas ibi ingentem ſcropham mammillis dependentibus ſtare, non alio modo, quam cum porcæ lactentes grunnitu ſeu ſcreatu blandiore lac nutrimentale porcellis propinant. Habet vero hæc porca ſub ſe tres puerulos iudaicos, quorum duo auerſa facie ex ſcrophæ ſugunt mammillis, tertius vero horum aperta facie ſub aluo ſcrophæ, ad ſpectatores proſpectat. Sub collo vero ſcrophæ accurrit porcellus, vt cum pueris mammillas ſuis vna ſugat. An nihil præterea cernere eſt? Imo in parte ſcrophæ poſteriore videbis grandæuiorem iudæum, mitra profeſſionis Rabbinicæ ornatum; hic accumbens, videtur ſiniſtra porcæ caudam eleuare, & dextra pedem dextrum ſuis, non in codicem, ſed in eius podicem, limis*

mis oculis proſpectare, & meditabundus intentis ſenſibus, neſcio, quæ myſteria in Thalmud ſcrophæ rimari, tumultuanteſque inteſtinorum flatus audire, horum oraculis edoctus noui quidpiam ad ſuos auditores iudæos referre queat. Poſtquam imaginis ſingulas partes comtemplatus fuiſti, ſiſte nonnihil gradum, & ſingularum partium interpretationem meditare. Totam hanc ſculpturam in odium Rabbinorum, oſorum Dei, & blaſphematorum Meſſiæ & eius ſanctiſſimæ Matris eſſe collocatam, certum eſt: qui cum toto grege iudaico nihil diuini ſapiunt, nihil oraculorum diuinorum ſacris bibliis comprehenſorum intelligunt, ſed mere Rabbinica ſeu potius Ethnica, & diabolica tradunt, & hauriunt dogmata: quippe pro ſcaturientibus aquis in vitam æternam ſugunt lac ſuillum, qui pro articulis Euangelicis, qui & ipſis in ſalutem cedere debebant, ſi Meſſiam natum fide exoſcularentur, non niſi ſchemhamphoras, fimos & ſterquilinia amplectuntur. Attende vero ipſorum pædiam: habent porcam magiſtram, porcarium pædagogum, & vt vno dicam verbo, tota ipſorum diſciplina eſt porculatio, omnes illorum doctores porculatores. Quam enim porcam pii iudæi olim ad eſum & ſacrificium non admittebant, illam hodie iudæi ignari magiſtram ſibi conſtituunt, qui, relicto ſacro codice, occupantur in magiſtræ ſuæ podice. Nec iuniores iudæi ſalubrius lac ſugunt, quam grandiores ſuppeditant. Quærunt hi omnia ſua myſteria in Thalmud porcino, ſugunt illi impuritatem omnem ex mammillis porcinis. Sic reſecti ab olea, & vite Chriſto per incrudelitatem, nonniſi impuriſſimas fœditates ſectantur. Deſerto Chriſto, adhærent ſcrophæ; ſpreta doctrina Meſſiæ, ſtercora vorant, neglecto verbo vitæ, lac ſuum lutulentum ſorbent. Hæc voluerunt Chriſtiani religioſi hoſtium iudæorum hoſtes hac porcaria imagine & fideli populo ab oculos ponere. Sed quis eſt primus inuentor huius picturæ? non certe heri primum emerſit; nam de illa ante annos plus minus 60. ſic ſcriptum inuenio. Eſt hic Witebergæ ad templum Parochiale porca ſaxo inciſa ſub qua procumbentes porcelli & iudæi ſugunt: poſt porcam eſt Rabbinus quiſpiam, qui porcæ attollit pedem dextrum, ſiniſtra vero ma-

nu caudam illius eleuat, & inclinato corpore ſummo ſtudio ſub caudam ſuis in Thalmud proſpectat, non aliter, ac ſi quidpiam eximii atque acuti cognoſcere atque legere ibi conſtituiſſet. Ex illo procul dubio ſcrophæ Thalmud habent hodierni iudæi myſteria ſua Schembamphoras. Nam ante hæc tempora in his regionibus quam plurimi habitauerunt iudæi, hoc demonſtrant nomina oppidulorum, vicorum, ciuium & ruſticorum, quæ hebræa ſunt etiamnum hodie. Conſentaneum igitur eſt viro, virum quempiam religioſum fuiſſe, cuius conſilio & ſuaſu hoc porcæ ſimulacrum fuerit ſculptum: qui impuriſſimorum iudæorum hoſtis fuit. Ita enim conſueuimus apud Germanos, de illis, qui ſesquipedalia verba ſonant, & turgidam ſapientiam absque re oſtentant, vnde huic tanta ſapientia, vbi legit hanc, in podice (ſine reuerentia ſatis ruſtice) ſcrophæ; vnde manifeſtum iam olim hanc ſaxeam ſcropham hic fuiſſe. Sic enim illi, qui nomen Chriſti profeſſi erant, iudæos nominis Chriſti hoſtes perpetuos laceſſere, & a ſuis focis arcere conſueuerant. Hoc enim nomine in hoſpitiorum publicorum, a quibus iudæos exulare voluerunt, ſuem pictum ac ſculptum proſtibulis collocabant, vt videre eſt Berlini & alibi. Hoc modo etiam iudæos Germani a ſuis aris & templis adigebant, a quibus ſuum cultum irrideri, & Deum & matrem Ieſu blaſphemari, etiam in ſacris templis audiebant. Iam enim olim ex indultu Pontificis Romani, & quorundam principum, multi habitauerunt in his locis iudæi; non ſolum iudaiſmum propalantes, ſed iuxta Chriſtianorum ſacras ceremonias irridentes, qui non raro ſolebant in eorum irruere templa & ſuas blaſphemias eructare. Hoc fine etiam apud nos Wittebergæ ſus lapideus templo adhæret, eadem de cauſa in antiqua Soraborum vrbe, in ducatu vicino Anhaltino columnæ templi exteriori ſuem lapidi inciſum ſpectamus: talem ſcropham iudæos lactantem videre licet Magdeburgi, in templo magno Canonicorum in ſacello, in quo verſus occidentem Imperatoris Romani Ottonis Primi, ſepulchrum oſtenditur: huiusmodi porcam videbis in Bauaria Saliſburgenſi curiæ inciſam, in ignominiam iudæorum, qui aliquando hoſtiam cœnæ conſecratam & emtam a monacho ibi

con-

conſciderunt, & procul dubio in aliis locis eiusmodi porcæ plures imagines reperire licebit. Tales vero porcarum ſculpturas in ignominiam iudæorum efformatas, publicis locis vt portis & templis apponere cœperunt. Imitati exemplum Hadriani Imperatoris, qui circa annum Chriſti 139. non ſolum legem tulit, ne quis iudæorum in Ieruſalem a ſede noua reſtauratam, & a ſuo nomine Aeliam dictam, ingrederetur, cum vrbem ſolis Chriſtianis inhabitandam conceſſit: ſed etiam ne quis illorum ex locis ſublimioribus & longinquis terram Palæſtinam ſpectaret, ſeuere interdixit, & quo magis ab acceſſu & introitu in vrbem iudæos deterreret, in publicam gentis iudaicæ ignominiam, portæ, qua Bethlehem itur, ante annos 1450. plus minus, annis ab hoc 96. retro computatis, ſuem marmoream impoſuit. Hoc terriculamento a locis ſacris iudæos abigendi, ab eo vsque tempore Chriſtiani vti cœperunt, & ex Iudæa in Greciam, & ex Græcia in Germaniam tranſtulerunt, quo ſigno publice profeſſi ſunt; ſe alienos a iudaica religione, & optare, ne ab impiis iudæis in ſuis ritibus turbentur: quoque tutiores eſſe poſſent, a ſannis & blaſphemiis iudæorum in ſuis templis, illos ſub hac ſuis ſculptæ imagine a cœmeteriis, a foribus & aris templorum ſuorum arcere voluerunt. Horum ardorem pium, in tuenda doctrinæ Chriſtianæ veritate, & propulſanda doctrinæ iudaicæ, & aliarum ſectarum falſitate, vt nos quoque imitemur, ne poſtliminio iudaicæ impietates reducantur, aut ab aliis doctrina labefactetur, aut ſcabie humanarum opinionum inficiatur, ſuadet ipſa pietas, flagitat grata poſteritas, hortatur præſentis ſeculi conditio, & futuræ ſalutis neceſſitas. Ipſam huius opprobrii effigiem ſiſtit WOLFIVS in *lection. memor.* Monachorum hoc inuentum eſſe, admodum credibile eſt, quos puerilia plura templis affixiſſe, antiquitas docet, quos ſubinde Canonici, ad Monachorum mores effigiati, facile ſecuti ſunt. Verum hæc inſipida terriculamenta merito princeps prohibet tollitque, ne publico exponantur contemtui, quos tutela ſua dignos iudicat, & eo magis a doctrina Saluatoris noſtri abducantur.

§. XVII. Aliquando tamen *per indirectum* iura eccleſiarum

Iura noſtrarum eccleſia-

rum realia recte iis applicantur quatenus bona poſſident.

ſiarum noſtrarum iis applicari poſſunt, & quidem (I.) quæ *realia* ſunt, bonis ſimpliciter impoſita, & ab *infidelibus* posſeſſa, quæ ad ſimilitudinem aliorum onerum etiam ab iis præſtanda ſunt. Sunt quædam *onera parochialia*, ſimpliciter ædibus in nonnullis locis impoſita, vti in hac ciuitate das Opffer-Geld, notante Dn. PRAESIDE in *iur. paroch. ſect. 3. c. 2. §. 16.* quæ a poſſeſſoribus quibuscunque exiguntur. Simili ratione ſoluunt *decimas reales* de prædiis, quæ poſſident, quia itidem hoc onus ſimpliciter poſſeſſorem ſequitur. RICCIVLLVS *cit. tr. lib. 2. c. 9. n. 6.* Ait Pontifex in *c. 16. X. de decim. de terris, quas iudæi colunt, tuæ prudentiæ reſpondemus, vt eos ad decimas perſoluendas, vel poſſeſſiones penitus renunciandas, cum omni diſtrictione compellas, ne forte occaſione illa eccleſiæ valeant ſuo iure fraudari.* In *Capit.* CAROLI CALVI *de A. 877. c. 31.* apud BALVZIVM *p. 268. tom. II. capit.* iam olim conſtitutum fuerat, vt iudæi darent decimam, & negotiatores Chriſtiani vndecimam. Perſonales ſunt onus *perſonale* parochianorum *qua talium*, & hac de cauſa in *c. 23. X. de decim.* hæ fidelibus imponuntur. Conf. MARQ. de SVSANN. *de iud. P. 1. c. 6. circa f.* (II.) Quia infideles habitant inter Chriſtianos, & ita loca quædam inter parochias ſita occupant, *per indirectum* imminuunt iura parochialia reditusque parochorum, a Chriſtianis præſtandos, ſi hi loca illa inhabitaſſent. Hac de cauſa anno 1215. in *concil. Later IV. c. 67.* apud HARDVINVM *tom. VII. concil. p. 70.* & RAYMVNDVM in *c. 18. X. de vſur.* cautum, vt iudæi cogerentur *ad ſatisfaciendum eccleſiis pro decimis & oblationibus debitis, quas a Chriſtianis de domibus & poſſeſſionibus aliis percipere conſueuerant, antequam ad iudæos quocunque titulo deueniſſent, vt ſic eccleſiæ conſeruentur indemnes.* Liquet ex hoc textu, in quibusdam locis iudæos hæc *onera realia* detrectaſſe, forſan ideo, quod ſint membra eccleſiæ, adeoque eo nomine ſatisfactionem vrſiſſe parochos. Sed non tantum horum, ſed etiam aliorum lucrorum Romani vrſere ſatisfactionem, quæ decreta in *concil. Vien. ann. 1267. c. 15.* apud HARDVIN. *loc. cit. p. 584.* & LAMBECIVM *lib. II. bibl. p. 66.* his conceptis

& alia iura parochialia in indemnitatem parochorum.

ptis verbis; *adiicientes vero iudæi ſacerdoti parochiali, infra cuius parochiæ terminos manſerint, pro eo, quod loca in quibus chriſtiani habitare deberent, occupant, iuxta quantitatem damni, quod ei ex hoc inferunt, ad arbitrium diœceſani loci, omnes prouentus, quos ex Chriſtianis, ſi ibidem manerent, ſacerdos perciperet, refundere compellantur; decimas etiam prædiales cum omni integritate perſoluant.* Iudæos his decretis morem geſſiſſe, quis crederet? Clerus potentior eos cogere directo non poterat. Principes quidem variis minis inducebant, vt præcepta ſua exequerentur; ſed fruſtra, iudeis contra Epiſcoporum decreta ad Principum tutelam confugientibus. Hinc illæ lacrimæ; hinc turbæ; hinc fulmina epiſcoporum in principes & magiſtratum. CANIS. *tom. I. lect. antiq. p. 621.* In ipſo *concilio cit. c. 19.* iam pœnam hanc decreuerant epiſcopi: *ipſos quoque principes ac iudices eorundem diſtrictius admonemus, ne iudæis ſtatuta noſtra ſeruare nolentibus alicuius protectionis ſeu defenſionis fauorem impendant; ſed ſi aliqua eis a prælatis eccleſiaſticis iniungantur, ea fideliter exequantur; alioquin introitum eccleſiæ & communionem diuinorum officiorum nouerint interdicta.* Ex eadem cauſa alia onera ſubire coguntur, quæ ſimpliciter inhabitantibus imponuntur, licet cauſam *deuotionis* & *religionis* Chriſtianæ concernant, quod FERMOSINVS, epiſcopus Auſturicenſis *ad rubr. tit. X. de iud. qu. 1. n. 10.* nouo exemplo illuſtrat. Ius Patronatus quoque attribui infidelibus, ſi fundauerint eccleſiam, RICCIVLL. *lib. II. cit. tr. c. 2.* aſſerit, negat vero PAVLVS de CITADINIS *de iur. Patron. P. III. n. 11.* Sed fruſtraneum erit, de hac re diſputare, quia caſus talis *fundationis* non videtur eſſe dabilis. Neque enim huc pertinet exemplum, ſi infidelis fanum fundarit, quod poſtea infidelibus ademtum & in eccleſiam mutatum, quia hac ademtione omne ius infidelibus quoque ereptum eſt.

§. XVIII. Quoad *munia ſacra* etiam quædam obſeruationes addi poſſunt. Baptiſmum in *caſu neceſſitatis* ab *infidelibus* valide conferri poſſe, liquet ex textibus iuris canonici. NICOLAVS I, in *c. 24. de conſ. D. 4.* hac de re conſultus

De baptiſmo ab infidelibus dato.

 ſultus

ſultus ita reſpondit: *a quodam iudæo neſcitis, vtrum Chriſtiano, an pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid de iis ſit agendum, conſulitis. Hi profecto, ſi in nomine ſanctæ Trinitatis, vel tantum in Chriſti nomine, ſicut in actibus Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt, (vnum quippe idemque eſt, vt ſanctus exponit Ambroſius) conſtat eos non denuo eſſe baptizandos.* Facit NICOLAVS iudæos duplicis generis, *Chriſtianos* & *paganos*, quod indicium præbet, ipſum voce *iudæi* non intellexiſſe eos, qui tales hodie intuitu *religionis* dicuntur, ſed *mercatores*, quos hac voce intelligebant, quod iudæorum primarius ſcopus *negotiatio* eſſe ſoleat. Similiter ISIDORVS in *c. 23. de conſecrat. D. 4.* ait: *Romanus Pontifex non hominem iudicat, qui baptizat, ſed ſpiritum Dei ſubminiſtrare gratiam baptiſmi, licet paganus ſit, qui baptizat.* Conf. P. HARDVINVS in *quæſtione triplici de baptiſmo*, vbi *diſſert.* III. agit de *adminiſtratione baptiſmi in nomine Chriſti*, quam conſcripſit occaſione decreti NICOLAI I. antea adducti. Admodum paradoxa, ne quid amplius dicam, eſt hæc ſententia, quacunque demum auctoritate ſuffulta fuerit. Primo exiſtentia talis caſus forſan adhuc deſideratur. Verum ſi vel maxime contigerit, infidelem actum immerſionis peregiſſe, quid putas, an non potius *ludibrium* peregerit quam baptiſmum? an credibile eſt, paganum vel iudæum, verba *inſtitutionis* recitantem, absque blaſphemia, ioco & irriſione hunc actum peragere potuiſſe? Loquor de eo, qui aperte infidelis eſt, qui ſacra Chriſtianorum ſpernit & ludibrio habet, qui aperte contra Chriſtum pugnat. Ceterum qui ore profitetur Chriſtum, corde negat, idolis clanculum adhuc fauet, interim ne opimos reditus eccleſiaſticos amittat, ſacra Chriſtianorum tractat, rem diuinam facit, ad illum facilius poteſt applicari, quod in *c. 98. C. 1. q. 1.* aſſeritur. Equidem addunt Romanæ eccleſiæ Dd., baptiſmum hunc validum eſſe, ſi infideles per immerſionem id agere intendunt, quod eccleſia intendit. Quis vero id diuinare, quis id vnquam præſumere poterit ab homine, cui noſtra religio abominationi eſt? Scilicet *intentionem* in

in baptizante ad *efficaciam baptiſmi* requirunt, quæ tamen ſi neceſſaria eſt, quis de ſuo baptiſmo erit certus? Hæ omnes concertationes tam ſcrupuloſe tractantur, ne baptiſmus *iterari* videatur, quæ *iteratio* tamen ceſſat, ſi iuſta de cauſa dubitatur, an quis vere baptizatus ſit. Semper autem iuſte dubitari poteſt, an quis baptizatus ſit, ſi quis ab infideli eſt immerſus. Vnde etiam GREGORIVS III. in *epiſt. 1. c. 1.* apud HARDVINVM *tom. III. concil. p. 1868.* & GRATIANVM in *c. 52. de conſecr. D. 4.* ita edixit: *Quos a paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, vt denuo baptizes in nomine Trinitatis mandamus.*

§. XIX. Similiter Domitiana forſan quæſtio eſſe videtur, *an infideles ad officium eccleſiaſticum admoueri poſſit?* Et tamen exemplo ſingulari hæc quæſtio non caret. SYNESIVS, philoſophus Platonicus, *anno 410.* ad Cyrenenſem epiſcopatum, quamuis inuitus, electus eſt, ne quidem eiurata gentilismi doctrina, quam paſſim in ſcriptis ſuis prodit. Nec hanc doctrinam occultabat; imo publice eam profitebatur, nec ab ea ſe recedere poſſe aſſerebat. Aeternitatem mundi, præ exiſtentiam animæ, imo eius interitum in aquis iuxta *dogma Homericum* credebat, vt PETRVS DE LA SENA *de his qui in aquis perierunt* oſtendit, & quod magis, ſpem Chriſtianorum fundamentalem, reſurrectionem intelligo, in dubium vocabat EVAGRIVS *lib. I. c. 15.* Nequidem *Deorum* appellatione abſtinebat, interque eos *marem femellamque* conſtituebat, vt BASNAGE *dans l'hiſtoire des Juifs lib. III. c. 28. §. 17.* oſtendit. Fama & celebritas viri induxit Chriſtianos, vt eum eccleſiæ ſuæ præficerent, maxime circa calamitoſa ruentis imperii tempora & afflictiſſimum Africæ ſtatum, vt plenius LVCAS HOLSTENIVS *in diſſ. de Syneſ. fugaque epiſc.* PAGI *in Critic. in Baron. annal. ad cit. ann.* BASNAGE *in annal. eccleſ. ad cit. an. §. 11.* cum aliis oſtendunt. Docent hæ aliæque circumſtantiæ, fuiſſe hoc exemplum irregulare, exorbitans, & adeo ſingulare, vt in conſequentiam trahi non poſſit nec debeat.

An infidelis ad Epiſcopatum promoueri queat?

I 2 §. XX.

De Synagogis iudæorum.

§. XX. Denique nec iudæis ius *Synagogarum* habendarum abſolute ademtum eſt. Diſpoſitiones ciuiles de iis in *prolegomenis* adductæ ſunt. Eas etiam ſequitur ius Canon. in *c.3.* & *7. X. de iudæis*, vbi nouas ædificare iis denegatur, veteres autem retinere, vel collapſas aut ruinam minantes reædificare, non autem eas exaltare, permittitur. FERMOSINVS *ad cit. c.3.* Idem confirmat *concil. Vienn. c.19.* apud HARDVIN. *cit. l. p. 586.* Nec Saracenis ſimpliciter Meſchitæ ſeu templa ſua ademta, ſed tantum quædam circa cultum Machometi immutata ſunt in *clem. vn. de iud.* MARQVARDVS de SVSANNIS *cit. tr. P. I. c.3.* Pertinet huc notabilis epiſtola SIXTI IV. de anno 1483. ad *Soldanum Babiloniæ*, qua oſtendit, ſaracenis in Hiſpania tantum iniunctum fuiſſe, vt *ſummitates quasdam eminentiores Meſchitarum*, quas *comas* vocant, deſtruerent. vid. LEIBNIT. in *Cod. diplom. iur. gent. n. 196.* Verum hodie modus habendi & adornandi Synagogas dependet a conceſſione eius, qui *ius circa ſacra* habet, nec hac in re antiquæ ſanctiones attenduntur; alibi ampliſſimæ, alibi minutiores iis conceſſæ ſunt. Immunitas ab inhoſpitatione iis conceſſa in *l. 4. C. de iud.* vbi ſimul inter *loca religioſa* relata. Maior libertas circa ſacra ſua indulgetur *legatis infidelium*, ex more gentium communi, cuius rationem ſpecialius expoſuit Dn. PRAESES *diſſ. de priuat. legat. ſacris.* Propriis præterea infideles cœmeteriis gaudent; neque enim eodem cum Chriſtianis vti poſſunt, ex rationibus, quas fuſius exponit Dn. PRAESES in *iur. eccleſ. Proteſt. lib. III. tit. 28.* quas his non repetam. Quin quod per infidelium illationem locum inquinari ſeu pollui exiſtiment, vt ante eorum eiectionem, & mundationem locus conſecrari non poſſit *c. 27. & 28. de conſecr. D. 1.* Imo nec inter Proteſtantes infideles in cœmetrio ſepeliuntur, ſed, ſi proprio carent, extra cœmetrium conduntur, quod in *communione eccleſiaſtica* haud fuerint conſtituti, quæ tamen ex communione cœmetrii ſecundum dogmata maio-

rum

rum trahitur. His moribus viuimus, qui tamen cum principiis noſtris non exacte conſpirant.

§. XXI. Facile ex his apparet, quod ſynagogæ *iura* & *immunitates* eccleſiarum indiſtincte non habeant. An vero infideles ad noſtras eccleſias aufugientes *immunitate eccleſiaſtica*, quam Catholici magni faciunt, gaudeant, maior dubitandi ratio eſt, præſertim iis in locis, in quibus mixta eſt religionis cultura, vel catholica prædominatur? Tangunt quodammodo hanc quæſtionem Imperatores in *l. 1. C. de his qui ad eccleſ. confug.* ita edicentes: *iudæi, qui reatu aliquo vel debitis fatigati ſimulant ſe Chriſtianæ legi velle coniungi, vt ad eccleſias confugientes euitare poſſint crimina vel pondera debitorum, arceantur, nec ante ſuſcipiantur, quam debita vniuerſa reddiderint, vel fuerint innocentia demonſtrata purgati.* Non in vniuerſum iudæi in hac lege immunitate eccleſiaſtica priuantur, verum tunc demum, ſi mole debiti oppreſſi, vel facinoribus inquinati aſylum in eccleſia peterent, quod olim delinquentibus non præbebat refugium IAC. GOTHOFRED. *ad l. 2. C. Theod. de his qui ad eccl. confug.* In iure canonico *immunitas eccleſiaſtica* quidem admodum extenſa eſt, non tamen, an etiam infidelibus prodeſſe poſſit? deciſum. Interim hæc ipſa extenſio, quæ multis de cauſis facta eſt grauibusque munita pœnis, indicium præbet, hoc priuilegium eccleſiis datum eſſe magis *reale*, quam *perſonale;* tributum illud eſſe loco propter ſingularem *ſanctitatem*, adeoque perſonarum non habendam eſſe rationem, quod plenius euincunt RICCIVLLVS *Lib. II. dict. tr. c. 12.* PASSERINVS *de pollut. eccleſ. diſp. 5. c. 34.* Ni me omnia fallunt, iam olim tempore THEODOSII hæc immunitas tanti viſa fuit, vt nec ſeruis barbaris denegata fuerit, ad aſylum eccleſiæ, confugientibus, quod exemplum cruentum apud SOCRATEM *lib. VII. H. E. c. 33.* illuſtrat, quæ ipſa *immunitas* progreſſu temporis, creſcente opinione de templorum ſanctitate, maxima cepit incrementa.

gaudent infideles immunitate eccleſiaſtica.

SECTIONIS I.
CAPVT II.
DE
Iure ſacro circa infideles conuertendos, vel conuerſos.

§. I.

Si de conuerſione infidelium laborandum, tolerandi quoque ſunt,

PErtinet ad *ius ſacrum* imprimis conuerſio *gentilium* & *iudæorum*, cui etiam effectus ciuiles adſcribuntur; vnde tum de *conuertendis*, tum de *conuerſis* infidelibus hoc capite agendum, & vt vera a falſis, apparentia a genuinis ſecernantur, curandum. Tolerandos eſſe infideles in republica, *cap. antec.* euici, & cur non eſſent tolerandi, cum de conuerſione eorum tot conſilia ab eruditis ſuggerantur, tot methodi a Theologis præſcribantur, determinenturque, vt vel ideo tolerandi eſſe videantur, quo eo commodius ad fidem noſtram trahantur. Præpoſtere actum erit, ſi expelluntur, ſi variis afficiuntur incommodis infideles, & tunc demum de eorum conuerſione cura ſuſcipitur. Fouendus eſt morbo laborans grauiſſimo & in phreneſi conſtitutus a bono & prudente medico, non ex lecto trahendus, verberibus tradendus, & domo eiiciendus, qua medicina nulla barbarior excogitari poteſt. Nec audiendi ſunt, qui in *pertinaces* & ab omni conuerſione alienos impetum & perſecutionem admittunt; qui hæc docent, ſuæ *impatientiæ* & *dominii taciti in conſcientias* euidentiſſima edunt ſigna. Deus ipſemet tolerat tot infideles, ſceleratos, monſtra, vix humanitatis quid habentia, eos ad pœnitentiam vocat, vtut refugiant, & eorum conuerſionem patienter exſpectat; quidni ergo homines in his, quæ proprie reſeruata Dei ſunt, Dei exemplum ſequantur. Apprime hac de re iudicat B. STRYCKIVS *in not. MSS. ad Myler. ab Ehrenb. de princip. & ſtat. imper. c. 60. §. 1. Cum ſpem conuertendorum iudæorum nobis faciat Apoſtolus, Rom. XI, 25. non ipſis deneganda ſunt media conuerſionis, quod fieret, ſi a con-*

non expellendi

etiamſi pertinaces videantur

conſortio Chriſtianorum penitus repellerentur. Id ergo dolendum eſt, quod meri lucri cauſa recipiamus iudæos, & de ipſorum ſalute parum ſolliciti ſimus.

§. II. Curam circa *conuerſionem infidelium* adſcribunt Catholici potiſſimum officio *Epiſcopali*, noſtrates *principi*, non tamen excluſo cleri miniſterio, cuius doctrina, prædicatione & annunciatione, gratia accedente diuina, peragenda eſt conuerſio, ipſa ſcriptura ſacra docente *Rom. X, 14. ſeqq.* Equidem quod noſtratium ſententiam concernit, duo *extrema* euitanda eſſe cenſeo, vt *officium* ſummorum principum rite determinetur, nec illis temere adhæreamus, qui hoc officium *prorſus* a principum cura ſegregant, nec etiam illis, qui in contrarium *primarium* eorum *officium* in *cura ſalutis æternæ ſubditorum quærunt*. Facile admitto, respublicas non eſſe conſtitutas primario religionis & pietatis internæ procurandæ gratia; neque enim conſtat, patriarchas olim in respublicas tranſiuiſſe, quippe qui plerumque extra respublicas vixere. Tranquillitas externa per arma, leges & iudaica, h. e. *remedia coactiua* obtinenda coegit homines, vt in ſocietates ciuiles abirent. Id quoque concedo, per *imperia ciuilia* conuerſionis opus obtineri non poſſe, quod *diuiniora* deſiderat *ſubſidia*, quæ cor flectere & mutare poſſunt. Nemo tamen in *ἀπορίαν* vocabit, ſinceram ſubditorum pietatem, vitamque ad exemplar Chriſti effigiatam multum conferre ad finem reipublicae præfixum, quæ demum ſubditos, naturaliter effrenatos rebellesque, vitam tranquillam agere docet. *Timor Dei ſolus eſt*, recte ait LACTANTIVS *de ira lib. I. c. 12. qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem.* Recte etiam Dn. BVDDEVS *in Theol. morali P. II. c. 3. ſect. 7. §. 17.* hoc obſeruat, & hac de re ita iudicat: *Etſi tranquillitas & conſeruatio rerumpublicarum neutiquam præcipuus religionis veræ ſcopus ſit, qui potius in ſalute hominum æterna conſiſtit, plurimum tamen ad ſecuritatem tranquillitatemque rerumpublicarum religionem, ſi recte adminiſtretur, conferre, palam eſt. Vnde & quam neceſſaria ſit legitima religionis directio, patet.* Pergit Theologus doctiſſimus in §. *19. cit. l.* &, *nihil magis*, ait, *ad*

Cura conuertendi infideles principi recte adſcribitur,

quod vita bene morata multum conferat ad tranquillitatem ciuilem

ad veram rerumpublicarum felicitatem tranquillitatemque confert, quam ſi vera religio floreat. Cum enim mala pleraque, quibuſcum rebuſpublicis ſocietatibuſque ciuilibus conflictandum eſt, a prauis adfectibus, vitiisque, aut imperantium, aut ciuium, ſpeciatim ab ambitione, auaritia, ac voluptate eorum proueniant, melior ea euitandi aut auertendi non eſt ratio, quam ſi cupiditatibus imponere modum, prauosque exuere adfectus, condoceantur homines.

& doctrina Chriſti reipubl. ſaluti magnopere inſeruiat

§. III. Hæc ſi vera ſunt, vti omnino ſunt, palam quoque eſt, doctrinam Chriſti genuinam primarium eſſe illud medium ſalutare, quo hæc hominum liberatio a prauis hiſce adfectibus, reipublicæ e diametro aduerſantibus, præ omnibus ceteris obtineri poteſt. Nulla philoſophia gentilium, quocunque coruſcet ſplendore, nulla præcepta moralia, quæ ratio naturalis tradit, id præſtare & efficere poſſunt, quod diuina hæc philoſophia operatur, quæ hominem mutat, & feram naturam ita emollit, vt commodum ſocietatis ciuilis membrum euadat. Prolixiorem demonſtrationem & illuſtrationem id ipſum deſideraret, niſi in eo nobis otium feciſſet prælaudatus Dn. BVDDEVS, Theologus meritiſſimus, in *diſſ. de concord. relig. Chriſtianæ ſtatusque ciuil. cap. 1. & 3.* cuius argumenta per indicem tantum referre ſufficiet. Generatim oſtendit vir doctiſſimus, doctrinam Chriſti egregie honori & auctoritate imperantium conſulere, officia eorum deſignare, ciues vero ſubditosque optime ad obedientiam & legum culturam flectere, imo præparare; Eſſe ſatis nota tria vitia primaria, *voluptatem, ambitionem* & *auaritiam*, ex quibus tot mala & morbi reipublicæ immineant, quæ eradicanda & ſedanda in ſubditis, ſi vera tranquillitas ſperanda ſit; Inde ſua ſponte fluere, eam religionem, quæ hiſce mortalium vitiis medelam affert, ad ſtatum ciuilem conſeruandum apprime aptam eſſe; Chriſti doctrinam vnice id intendere, vt renuncietur hiſce vitiis, & morbi animæ ſanentur; fugam auaritiæ, ambitionis & luxuriæ vbique inculcari, talemque vitam a Chriſto commendari & præſcribi, quæ cum miſericordia,

quod ex doctrina Dn. Buddei porro illuſtratur

amo-

amore, patientia, manſuetudine, humilitate & caſtitate coniuncta ſit; proinde neminem poſſe verum Chriſtianum eſſe, qui non etiam bonus ciuis ſit, & vice verſa bonum ciuem, qui non bonus Chriſtianus; Gentilium religionem impuram, dominatui accommodatam, inanem, maleque cohærentem, imo in ea cuncta comparata fuiſſe ad captandam plebem rudem, & ſuperſtitionis laqueis irretiendam; ſubſtitiſſe in externis ritibus ceremoniisque, quæ ſenſus externos tantum feriunt, animum non mutant; Chriſtianam religionem tot ambagibus, artibus, technis & machinis, ad fallendos ſimpliciores diſpoſitis, neutiquam vti, & in hoc eo magis infidelium ſacris præferendam, quod hæc id nulla ratione efficere poſſint, quod Chriſtiana religio, quæ ad mentem penetrat, & huius emendationem efficit. Atque hæc ſine dubio de *ſincera* Chriſti *doctrina* vera ſunt. Dogmata, quæ a nonnullis ſectis his vel ſuperaddita, vel eis contraria ſunt, reſpuo, nec in hanc claſſem admitto, in quibus ſæpe contraria ſtatui ciuili docentur.

§. IV. Quæ cum ita ſint, ecquis quæſo negauerit, *curam religionis Chriſtianæ* & doctrinæ Chriſti principi commendatam eſſe debere? Eſt quidem hæc ſingulis, qua *Criſtianis*, commendata, & inprimis paſtoribus, animæ curam gerentibus; verum ad eum imprimis hæc ſollicitudo, hoc officium pertinebit, qui ampliſſimam occaſionem habet id efficiendi, quod a ſingulis commode præſtari nequit. Neque princeps tantummodo, qua *Criſtianus*, ſed etiam qua *princeps* hanc ſollicitudinem gerit, cum ad *officium* eius ſpectet, omnia illa media in vſum & praxin deducere, per quæ finis reipublicæ *proxime* & *certiſſime* obtineri poteſt. Atque inde quoque eſt *cura ſacrorum, doctrinæque publicæ*, vt eo aptiores ciues reddantur ad vitam ciuilem. Huic cohæret cura *pro conuertendis infidelibus*, quos in republica tolerat, & publica tutela frui ſinit, vt hi quoque *boni ciues* euadant, & illis mediis non deſtituantur, quæ *opus conuerſionis* deſiderat. Agnouit id ipſum egregie Auguſtiſſimus Rex Boruſſiæ FRIDERICVS I. glorioſæ memoriæ in edicto *de 28. Aug.*

Inde princeps non tantum qua Chriſtianus ſed etiam qua princeps curam religionis gerit.

cui cura conuertendi infideles cohæret.

Aug. 1703., quo iudæorum precibus normam præſcribit, & hoc modo præfatur: Wir Friedrich von GOttes Gnaden, König in Preuſſen, ꝛc. Geben hiemit allen und jeden Prælaten, Graffen, Herren, denen von der Ritterſchafft, Verweſſeren, Haupt- und Amt-Leuten, Magiſtraten in Städten und Flecken, Gerichts-Obrigkeiten, Befehls-Habern, Verwaltern, Schultzen in Dörffern, wie auch insgemein allen unſern Unterthanen, **Gläubigen und Ungläubigen, über welche der allerhöchſte GOtt Uns in Unſern Königreich, Churfürſtenthum, Fürſtenthümern, Graff- und Herrſchafften nach Seinen Allerhöchſten Rath und Willen geſetzet**, nebſt Entbietung Unſers gnädigen Gruſſes, zu vernehmen, das Uns gebühre, Lob, Preiß, Ehr und Danck zu geben, dem, der Uns Königreich, Macht, Stärcke, Ehre und Herrlichkeit verliehen hat, und daß mit Uns alle, ſo auf Erden Seine Stadthalter und Seines Reichs Amtleute ſeyn, nebſt Verherrligung des groſſen Nahmens GOttes, **auch dieſen Haupt-Zweck haben müſſen, daß ſie nicht allein die zeitl. Wohlfahrt Ihrer anvertrauten Unterthanen befördern, ſondern weil dieſelbe nicht vor dieſe Welt allein geſchaffen, und in den ſterblichen Leibe eine unſterbliche Seele tragen, auch dafür nöthig zu ſorgen haben, daß wo ſie nicht alle zu GOtt bekehret, wenigſten doch ihr Gericht ihnen einſtens nicht ſchwerer werde.**

Wann dann in ſolcher Erwegung wir mit erbarmenden Augen das arme Juden-Volck, ſo Uns GOtt in Unſern Landen unterwürffig gemacht, anſehen, ſo wünſchen wir wohl hertzlich, daß diß Volck, welches der HErr ehemahls ſo hoch geliebet, und vor allen andern Völckern zu Seinem Eigenthum erwählet hatte, endlich von ſeiner Blindheit möchte befreyet, und mit Uns zu einer Gemeinſchafft in den Glauben an den aus ihn ſelbſt gebohrnen Meßiam und Heyland der Welt gebracht werden: Weil aber **das groſſe Werck der Bekehrung zu den geiſtlichen Reich Chriſti gehöret**, und **Unſere weltliche Macht keinen Platz darinnen findet**, wie auch **die Herrſchafft über die Gewiſſen der Menſchen dem HErrn aller Herrn einig überlaſſen**, ſo müſſen wir Zeit und Stunde abwarten, welche der

der barmhertzige GOtt, ſie zu erleuchten, ſeinem allein gnädigen Willen vorbehalten hat, indeſſen ſie mit Gedult ertragen, und Mittel zu ihrer Bekehrung mit aller Liebe und Sanfftmuth anwenden laſſen: Wie wir dann hiemit inſonderheit die Geiſtlichen und Seelſorger ermahnet haben wollen, ſo offt ſie Gelegenheit dazu erſehen, ſich zu bemühen, wie ſie diß ungläubige Volck mit Sanfftmuth gründlich überzeugen, und dem Meßia, unſerm HErrn, zuführen mögen, und alle und jede ſo den Nahmen Chriſti unter uns bekennen, ernſtlich dahin anweiſen, ihnen Aergerniß nicht zu geben, und keinen Stein des Anſtoſſes in den Weg zu legen, dagegen wir aber auch die Boßheit, da ſie ſich wider Chriſtum JEſum unſern HErrn und Heyland, und ſein Reich erheben wolte, zu wehren und ſie mächtiglich zu ſtören, uns höchſt verpflicht zu ſeyn achten ꝛc.

§. V. Ita recte cenſuit Auguſtiſſimus legislator, qui *conuerſionis curam* quidem principibus tribuit, neutiquam tamen cenſuit, per *violenta media*, ſeu *obtorto collo*, infidelium conuerſionem perficiendam eſſe, quippe quæ omnem reſpuit coactionem, & *libertatem ſpiritus* expoſcit. Nihil enim magis religioni conueniens eſt, quam libertas conſcientiæ, prout *cap. antec.* monui, quod adhuc verbis PVFENDORFII *in append. ad tr. de hab. relig. ad vitam ciu. contra Adrianum Houtuyn.* illuſtrare lubet. *Vt æternam ſalutem,* ait, *ciuibus procurent principes, imperia in hos non ſunt collata, cui obtinendæ alia media, aliamque viam Deus præſcripſit. Et quanquam non negemus, ab iſta quoque cura non alienum deberi eſſe principes; ea tamen non eousque debet porrigi, vt per alia media, quam diuinitus præſcripta & probata expromatur, & quæ genio religionis quadrant; multo minus, vt ideo principibus tribuamas poteſtatem, ciuibus obtrudendi religionem etiam extraneam quamlibet; cum non quælibet religio ſaluti animarum ſit proficua. Sicuti & Abrahamus ille credentium pater filiis ſuis non præſcribebat religionem pro lubitu, ſed præcipiebat cuſtodire viam domini, diuinis reuelationibus deſignatam & confirmatam.* Proinde curæ principis pro *conuertendis*

Media tamen conuertendi non debent eſſe coactius.

Sed quæ naturæ religionis conueniunt.

tendis infidelibus ea tantum tribuimus media, quæ ipſi religioni Chriſtianæ conueniunt, & praxi Chriſti & Apoſtolica confirmata ſunt, quæ princeps promouere poteſt, non tantum *remouendo impedimenta*, quæ conuerſioni huic obſtare poterant, ſed etiam auctoritate publica illa decernendo, & adorando, quæ conuerſioni huic inſeruire poſſunt.

Inde quoque miſſionarios prudentes principes recte eligunt, pro cura conuerſionis ſuſcipienda

§. VI. Habent hodie Principes Regesque Chriſtiani non tantum iudæos ſub oculis ſuis viuentes, ſed etiam in terris remotiſſimis ſuis, extra Europam ſitis, ſubditos infideles, gentilibus ſacris & idololatricis ritibus addictiſſimos, pro quorum conuerſione merito ſolliciti ſunt. Atque huic *Miſſionariorum*, quos vocant, opem & prudentiam Chriſtianam plurimum inſeruire, negare non poterunt, qui Apoſtolicam doctrinam ſincero in pectore gerunt, noruntque, per *prædicationem Euangelii* Deum voluiſſe, vt homines ad ſalutem æternam vocarentur. Hoc opus, hic labor eſt Miſſionariorum; ſed non aliorum, quam Apoſtolica fide inſtructorum, h. e. qui ex formula ſua, quam aliis inculcant, viuunt, veritatemque doctrinæ ipſa praxi corroborant, & prudentia ſingulari inſtructi ſunt. Sunt ſane in iis plures qualitates, virtutesque neceſſariæ, qui ad hoc opus arduum adhibendi: quod ſi inidoneis concreditur, h. e. qui docent, quæ ipſimet non faciunt, qui vita inculpata autoritatem doctrinæ ſuæ haud conciliant; qui quouis modo lucrari animas intendunt, modo habeant, quos *conuerſos* dicere poſſint; illi non *conuertunt* infideles, ſed *nomen* fidelium illis tantum conciliant, non *rem*, & ſic ad ſcopum, quem princeps bonus intendit, haud penetrant. IOANNES CLERICVS, vir doctiſſimus, non inepte de *qualitatibus Miſſionariorum*, & *prudentia* iudicat, *tom. XXV. biblioth. choiſ. p. 379.* vbi P. MAFFEI relationem de miſſionariorum fatis & progreſſu in conuertendis infidelibus recenſet, cuius verba hic referre placet. Ait: *Le P. Maffei raconte les efforts, que les Portugais fierent pour convertir les habitans de Congo à la foy Chrétienne. Ils ne trouverent pas grande difficulté a perſuader au Roi de Congo & aux principaux*

in quibus ſingulares qualitates neceſſariæ

quas explicat Clericus

paux de la cour la Religion Chrétienne, & ils baptizerent en MCCCCXCI. le Roy, la Reine, leur fils ainé & pluſieurs autres. Ces peuples crurent, ou dirent qu'ils croyoient tout ce qu'on voulut; mais ils ne laiſſoient pas de conſerver leurs anciennes ſuperſtitions, quoiqu' incompatibles avec le Chriſtianisme. La foi, ou plûtôt je ne ſai quelle credulité vague, prête à embraſſer tout ce qu'on leur auroit propoſé, ne leur manquoit point; non plus qu' aux autres peuples barbares, chez qui il eſt allé des Miſſionaires. Mais la Morale Corétienne, qui impoſe un joug aux paſſions & aux cupiditez, & qui enſeigne la juſtice l'amour du prochain, & le pardon des injures, ne leur plaiſoit point; & c' eſt ce qui eſt encore le plus grand obſtacle aux converſions, parmi les infideles. Auſſi les Miſſionaires, qui prêchant depuis deux cents ans l'Evangile à ces peuples, devroient en avoir converti une bonne partie, n'ont-ils presque rien avancé, comme les Relations modernes nous l'apprennent. Il y a bien de l' apparence, que ces gens-là multiplient beaucoup le nombre de leurs converſions, & qu'ils comptent mal-à-propos pour convertir ceux qu' ils baptizent trop légrement, ſans les inſtruire, comme il faut, de la réligion Chrétienne. Ces peuples ne raiſonnent que peu, ou point, & ne veulent pas quitter leurs anciennes coûtumes. D' allieurs il faudroit entendre leurs langues à fonds, pour les inſtruire & les perſuader ſolidement; & on trouveroit encore bien de la peine à exprimer en ces langues la religion Chrétienne. Il faudroit avoir penetré leurs coûtumes & en ſavoir les raiſons, pour les deſabuſer inſenſiblement. Mais ſur tout, il faudroit leur apprendre à raiſonner, les inſtruire dans l' hiſtoire & dans les ſciences de l' Europe, & leur donner du goût, pour ce que nous eſtimons; ſans quoi on ne peut guere faire de converſions ſolides & veritables. La difficulté eſt, outre tout ce la, de trouver des Miſſionaires, qui en ſoient capables. Ceux, que l'on y envoye, auroient beſoin eux mêmes d' être inſtruits, & des abuſez de bien des ſuperſtitions; qui ne valent guere mieux, que celles de ceux, qu'ils veulent convertir. Il faudroit, que ce fuſſent des gens prudens & ſages,

 qui

qui ſuſſent parfaitement les veritables fondemens du Chriſtianiſme, & qui puſſent parler de ſes dogmes, d'une maniere ègalement conforme à la veritè & proportionnée aux peuples, à qui ils ont à faire. Mais c'eſt ce qu'il eſt tres-difficile, pour ne pas dire impoſſible, de trouver dans l'état où les Chrétiens ſont aujord'hui. Avant que d'inſtruire & de convertir les autres, il faudroit que nous les fuſſions nous mêmes.

Illuſtratur hoc exemplo misſionariorum Danicorum.

§. VII. Veriſſima eſt ſine dubio hæc theſis, quam CLERICVS, vir doctiſſimus, commendat, *illos ipſos, qui infideles conuertere volunt, debere eſſe conuerſos,* quod vel praxis primitiuæ eccleſiæ, & viuida eorum fides, qui aliorum conuerſioni incubuerunt, docent. Et quamuis admodum difficile ſit, tales in corrupto rei Chriſtianæ ſtatu inuenire, non tamen moraliter impoſſibile id eſt credo. Eo maior circumſpectio principis eſſe debet, cui conuerſio ſubditorum infidelium curæ eſt, vt non alios ei negotio præficiat, quam de quorum *ſincera pietate* & *doctrina* conuictus eſt, quæque ex ipſis rerum argumentis apparet. Si monumenta eorum, quos potentiſſimus rex Daniæ, conſilio ſane admodum laudabili, & ad exemplum illuſtre omnibus imperantibus propoſito, ad *conuerſionem Damulorum*, vulgo *Malabaros* dictorum, in orientem miſit, intuemur, ſi fata, typis publicis conſcripta examinamus, quilibet facile animaduertit, opus hoc quidem eſſe arduum, ſed non deſperatum; plura ſubeſſe impedimenta, ſed non talia, quæ ſuperari nequeant, ſi debitis inſtructi ſubſidiis hoc opus aggrediuntur. Quæ nonnullorum de hac opera ſint iudicia ſiniſtra, non referam, quæ magis hoc inſtitutum commendant, quam ei officiunt, cum ex omni antiquitate conſtet, opus conuerſionis inter multas *contradictiones* vbique peractum & ſub *cruce* perfectum fuiſſe. Hoc ad minimum inde liquet, prorſus horum miſſionariorum diuerſam eſſe methodum, ac quidem eorum, qui a curia Romana ad infideles mittuntur, magisque efformatam ad imaginem primitiuæ eccleſiæ, quam praxin patrum ſocietatis Ieſu.

§. IIX.

§. IIX. Et cum ex ipſis rerum argumentis res hæc ardua & magni momenti poſſit illuſtrari & demonſtrari, non inutile erit, quasdam obſeruationes, etiam a CLERICO deſideratas, ex *relatione Miſſionariorum Danicorum* hic adferre. (I) Magnum huic rei adiumentum præbet, quod etiam CLERICVS vrſit, cognitio exacta linguæ paganicæ, vt in illa Euangelium iis annunciari poſſit, quod agnouere etiam Miſſionarii Danici, & in ea addiſcenda & eius cognitionem in Europam transferendam omnium ſpem & expectationem ſuperarunt. vid. Bericht der Däniſchen *Miſſion. p. 8. 220. &c.* (II) Ante omnia *ſolida Chriſtianiſmi praxis* commendat eos, qui conuerſioni infidelium ſeſe dederunt. Conqueruntur Miſſionarii, nullum fere grauius conuerſioni obſtaculum, quam ex vita Chriſtianorum peſſima, quam intuentur, & ex qua religionem iudicant, ſubnaſci. Vid. *cit. tr. p. 11. 16. 50. 133. 150. 176. 342. 457.* Idem obſeruat ERASMVS *lib. XXIII. epiſt. 7. edit. Londin. anno 1642. editæ*, vbi ita ſcribit: *Obſecro te per Deum immortalem, quid iſtis agetur rebus, maxime ſi ſuperciliosæ doctrinæ mores & vita ſimilis reſpondeat? Si ex ſtrepitu noſtro plusquam tyrannico, perſpexerint ambitionem noſtram, ſi ex rapacitate auaritiam, ſi ex ſtupris libidinem, ſi ex oppresſionibus ſæuitiam, qua fronte ingeremus illis Chriſti doctrinam, ab hiſce rebus longe lateque diſcrepantem? Efficaciſſima Turcas expugnandi ratio fuerit, ſi conſpexerint in nobis elucere, quod docuit & expreſſit Chriſtus: ſi ſenſerint, nos non ipſorum inhiare imperiis, non ſitire aurum, non ambire poſſeſſiones, ſed præter eorum ſalutem & Chriſti gloriam nihil omnino quærere. Hæc eſt illa Theologia vera, germana, efficax, quæ olim & philoſophorum ſupercilia, & principum inuicta ſceptra Chriſto ſubegit. Hoc, hoc agentibus nobis, aderit ipſe Chriſtus. Neque vero conuenit, vt hoc argumento nos valde Chriſtianos declaremus, ſi quamplurimos occiderimus; ſed ſi quamplurimos ſeruauerimus: non ſi multa impiorum millia ſacrificauerimus orco, ſed ſi quamplurimos ex impiis reddiderimus pios: non ſi illos diris execrationibus deuoueamus, ſed ſi piis votis ſalutem illis ac meliorem mentem a ſuperis optemus. Quod ſi hic non adſit*

Obſeruationes miſſionariis commendandæ.

(1) cognitio linguæ paganicæ neceſſaria

(2) vitæ Chriſtianæ ſolida praxis

quod verbis Eraſmi declaratur.

adſit animus, citius futurum eſt, vt nos in Turcas degeneremus, quam vt Turcas in noſtras partes pertrahamus. Et vt feliciter cadat Martis, ſemper ancipitis, alea, fiet, vt latius fortaſſe regnet Pontifex, aut huius Cardinales; non vt latius regnet Chriſtus, cuius regnum ita demum floret, ſi vigeat pietas, ſi charitas, ſi pax, ſi caſtitas: id quod optimi LEONIS X. ductu atque auſpiciis fore confidimus, ni quod optimum eſt conantem aliorſum rapiat rerum humanarum æſtus. Ipſe CHRISTVS ſeſe regni cœlorum vindicem ac principem profitetur, quod non aliter ſplendidum eſt, quam ſi triumphent cœleſtia. Neque enim ideo mortuus eſt Chriſtus, vt opes, vt copiæ, vt arma, reliquaque illa mundani regni tragœdia, quæ quondam penes ethnicos aut certe profanos principes fuit, ethnicis non ita multum abſimiles, nunc ſit penes ſacerdotes aliquot. Idem quoque vrget *lib. XXVIII. epiſt. 4.* aiens: *Vereor ne noſtri mores partim in cauſa ſint, quo minus Turcæ, Mahumetani, Saraceni, Moſchobitæ, Græci, & ſi quæ ſunt aliæ nationes, vel ſemichriſtianæ, vel ſchismaticæ, ſeſe adiungant ouili Chriſti, quo minus Iudæi reſipiſcant a ſua cæcitate, qua tot iam ſeculis detinentur; quos equidem demirabor, ſi tam dilucide Chryſoſtomi rationes, ſi tam vrgentia ſcripturarum teſtimonia non ſaltem huc adigant, vt pudeat pigeatque tam diutinæ calamitatis.* Spem in ſequentibus ex loco PAVLI ad *Rom. XI.* conuerſionis infidelium facit, & tandem ſubiungit: *Si, Iudæis a Chriſto deficientibus, nos recepti ſumus, vt illos viciſſim ad æmulationem prouocemus, conandum eſt, vt in omni vita noſtra reſplendeat veritas, puritas & ſinceritas euangelica. Glorificemus & nos euangelium noſtrum. Id quidem in primis eſt Epiſcoporum ac Sacerdotum, qui dicuntur angeli Domini, ex quorum ore populus requirit legem Dei ſui: omnis tamen Chriſtianus pro ſua quisque portione glorificare poteſt euangelium, ſi, ſpretis iis, quæ ſunt ſuper terram, conuerſationem habeat in cœlis. Sic enim futurum eſt, vt Turcæ ſimul & Iudæi videntes opera bona noſtra, glorificent patrem noſtrum, qui in cœlis eſt, cupiantque in tale conſortium aſcribi.*

§. IX.

(3) prudentia & ſapientia

§. IX. Sed etiam (III) *prudentiam* & *ſapientiam* merito quoque deſiderat CLERICVS in miſſionariis. IpſimetDanici Miſſionarii *cit. tr. p. 15. ſeq.* hoc fatentur. Ich erinnere mich, ſcribit vnus ex illis, daß unterſchiedliche Gelehrte in Europa etwas von der Art und Weiſe die Heyden zu bekehren geſchrieben haben; aber ſie haben gut ſchreiben gehabt, da ſie nur allein mit ſich ſelbſt argumentiret haben. Solten ſie ſelbſt unter die Heyden kommen, und ihres Zuſtandes ſich recht erkundigen, ſo würden ſie erfahren, daß ſolche Heyden auff ein Argument offt 10. andere zu machen wiſſen. **Daher iſt eine groſſe Weiß**heit von nöthen, mit ſolchen Heyden umbzugehen, und ſie zu einer rechten Uberzeugung zu bringen, daß ihr Heydenthum falſch, und unſer Chriſtenthum wahr ſey. **Solche Weißheit kan weder die *logica*, noch *metaphyſica* geben, ſondern einzig und allein GOtt.** Daher diejenigen, ſo deſſen von nöthen haben, und mit ſolchen Heyden umgehen ſollen, ſich immerdar in einem ſolchen Stande zu leben befleißigen müſſen, darin der Dreyeinige GOtt mit ihnen Gemeinſchafft haben kan, und zur Stunde ihnen das zu wiſſen thun, was, und wie ſie reden ſollen. Inde preces quotidianæ a miſſionariis prælaudatis merito commendantur in *tr. cit. p. 158. 218. 263.*

(4) iuuentutis inſtructio

(IV) Iuuentutis inſtructio in ſcholis merito quoque laudanda, qua mentes, præiudiciis falſæ doctrinæ nondum occœcatæ, eo rectius ad veritatis cognitionem trahi queant. vid. *cit. tr. p. 16. 153. 190. 238. & 289.*

(5) Scholæ pro infidelium liberis

Imprimis vero (V) nouum inſtitutum, quod Miſſionarii *p. 845.* referunt, approbandum eſſe cenſeo, quo ſcholam publicam, etiam pro *infidelibus* in humanioribus informandis, erexerunt, id quod non poteſt non multum conferre ad cognitionem *vanæ religionis* & *idololatricæ*, præſertim ſi iuxta monitum CLERICI hiſtoria aliisque ſcientiis humanioribus, quæ mentem purgant a præiudiciis, iudiciumque acuunt, teneræ mentes infidelium expoliuntur. Ingens ſane conuerſioni obſtaculum adfertur ex *inepta* & pluſquam barbara inſtitutione, & omnium rerum ignorantia, in qua plerique infidelium verſantur, quod vel Iudæorum exemplum oſtendit, qui vel hoc ſolo ſe excuſant: Sie hätten nicht ſtu-

diret. Adeo vero occœcatæ mentis ſunt, vt ne quidem, quæ ratio ſana dictitat, ſciant, intelligant vel percipiant; in hac ignorantia obbruteſcunt, id quod conuerſioni eorum admodum officit. Quanta meſſis foret ſperanda, ſi in rebuspublicis, quas *iudæi* incolunt, publicæ erigerentur ſcholæ, & iudæorum inſtitutio in variis ſcientiis, quæ mentem excolunt, ſub cura principum publica adornaretur. Quodſi generatim educatio bona ſubditorum principi curæ eſſe debet, non idem quoque de *infidelium* liberorum educatione ſedula ſollicitus eſſe debet? nec infideles ab hac cura excludendi ſunt, qui æque ac ceteri ſubditi ſunt. Idem obſeruat CLERICVS, vir doctiſſimus, *tom. VIII. biblioth. choiſ. p. 402.* vbi refert obſtacula, quæ miſſionem pro conuertendis infidelibus inſtitutam impedire poſſunt. Ait: *Le premier c'eſt, que les Orientaux, & d'autres peuples auſſi, ne s'aviſent guere d'examiner, par la Raiſon, les principes de leur religion, pour voir ſi elle eſt bien fondée; ſoit qu'ils fuyent cet examen par ſuperſtition, ou par ignorance. Il eſt clair, qu'on ne peut ramener les Infideles, qu'en raiſonnant, & que s'ils ne le veulent pas, ou qu'ils ne le ſâchent pas faire, il n'y a pas moyen de les gaguer. On en voit en Europe un exemple clair, dans les Juifs.* (VI) Ipſi miſſionarii in *doctrina gentilium* debent eſſe exercitatiſſimi, vt vel proprio gladio eos iugulare, & infantiam ineptiamque religionis paganicæ eis ob oculos ponere queant. vid. Nachricht der Däniſchen *Miſſionar. p. 18. 45. &c.* (VII) Ante omnia *communia præiudicia* infidelibus ſunt adimenda, contra doctrinam noſtræ religionis concepta, quæ maximam partem iis attulit durior perſecutio, cui per plura ſecula expoſiti fuere. Inde odium, horror & ira erga Chriſtianos. Inde tot calumniarum ſeges, quæ curſum Euangelii ſiſtit. Quos odio homines habent, & abominantur, ab iis nullam ſperare poſſunt ſalutem, quin potius perſuaſiſſimum habent, ſibi ab iis quæuis imminere mala, & ſalutis æternæ iacturam. Norunt iudæi optime, quam peſſime a Chriſtianis per plura ſecula habiti fuerint; recolunt infideles orientales memoria duriſſimas iniu-

(6) cognitio doctrinæ gentilium exacta

(7) infidelibus falſa præiudicia contra doctrinam Chriſti adimenda

iniurias inter Chriſtianos perpeſſas, quæ omnem fiduciam erga miſſionarios vtplurimum extinguunt, vt conqueruntur Miſſionarii Danici *cit. tr. p. 49.* Hoc ergo ante omnia agendum, vt luculenter gentiles intelligant, hæc facta a regulis Chriſtianiſmi abhorrere, ſanctiſſimamque doctrinam Chriſti a præconceptis hiſce opinionibus, quibus imbuti ſunt, eſſe alieniſſimam.

§. X. Hac de cauſa (VIII) amicæ collationes cum infidelibus inſtituendæ, colloquia miſcenda cum omni humanitate, remoto calore & faſtu, commerciumque literarum cum iis, qui præ ceteris ſagaciores eſſe videntur, excolendum. Id quoque curandum, vt fundamenta ſalutis typis ſimpliciſſime edita iis communicentur, & fiducia erga eos, qui cum illis agunt, concilietur, vt talia ſcripta legant. Hoc optime Miſſionarii Danici obſeruarunt, & feliciſſimo ſucceſſu adhuc continuant, vt vel hoc exemplo appareat, nihil eſſe iis inacceſſibile & inſuperabile, qui ſtrenua conſtantia, patientia, & fide in Deum ingruentes contradictiones vincunt, & innocentia vitæ ſibi fidem amoremque inter infideles parare poſſunt. Legi hac de re merentur quæ in *cit. tr.* ad hoc monitum pertinent, imprimis *p. 56. ſeq. 91. 93. 96. 101. 103. 132. 142. 163. 193. 196. 279. 315. 505. 624. &c.* Placet hoc ipſum illuſtrare verbis ERASMI *cit. ep. 7.* ita ſcribentis: *Ac mea ſententia conſultum fuerit, multo antequam armis experiamur, illorum animos epiſtolis ac libellis ſollicitare. Sed qualibus epiſtolis? Non minacibus, non tyrannicis, ſed quæ ſpirent vere paternam charitatem, quæ Petri Paulique pectus referant; quæ non titulum modo præferant apoſtolicum, ſed* ἐνέργειαν *reſipiant apoſtolicam. Non quod neſciam, fontem omnem ac venam Chriſtianæ Philoſophiæ reconditam eſſe in euangelicis & apoſtolicis literis, ſed ſermo peregrinus, ac ſæpe numero perturbatus, tum figuræ tropique obliqui, tantum habent difficultatis, vt nobis etiam non raro ſudandum ſit, priusquam intelligamus. Commodiſſimum itaque mea ſententia fuerit, ſi muneris hoc viris aliquot iuxta piis ac doctis delegetur, vt ex puriſſimis fontibus euangeliſtarum & apoſtolorum, ex* pre-

(8) Amicæ collationes cum infidelibus inſtituendæ & fundamenta fidei ſimpliciſſima iis tradenda

quod etiam admodum commendat Eraſmus.

probatiſſimis interpretibus vniuerſam Chriſti philoſophiam in compendium contrahant, ita ſimpliciter, vt tamen erudite; ita breuiter, vt tamen dilucide. Quæ pertinent ad fidem, quàm pauciſſimis articulis abſoluantur. Quæ ad vitam, item paucis tradantur, & ſic tradantur, vt intelligant, Chriſti iugum blandum & commodum eſſe, non aſperum: vt intelligant ſeſe patres nactos, non tyrannos; paſtores, non prædones; ad ſalutem vocari, non ad ſeruitutem pertrahi. Homines ſunt & illi, nec ferrum aut adamantem geſtant in pectore, poſſunt molleſcere, poſſunt officiis adiungi, quibus manſueſcunt & feræ. Et efficax inprimis res eſt Chriſtiana veritas. Sed quibus Romanus Pontifex hoc negotii volet delegare, eadem opera mandabit, ne quid deflectant ab archetypo Chriſto, ne vsquam ad hominum affectus aut cupiditates reſpiciant. Simpliciſſima ſane eſt veritas doctrinæ Euangelicæ, quæ admodum corrupta eſt per lites & ſubtilitales ſcholaſticorum, quæ non leue impedimentum conuerſioni & obſtaculum Chriſtianiſmo attulerunt. Obſeruat id ipſum IDEM *cit. l.* vbi falſe has ſpinoſas concertationes depingit perſtringitque. Scribit: *Adornatur iam bellum in Turcas, quod quocunque conſilio inſtitutum, precandum eſt, non vt paucis quibusdam, ſed vt in commune bene vertat omnibus. Sed quid futurum arbitramur, ſi victis (neque enim vniuerſos opinor ferro trucidabimus) vt Chriſtum amplectantur, Occamos, aut Durandos, aut Scotos, aut Gabrieles, aut Aluaros, propoſuerimus? Quid cogitabunt, aut quid ſentient (ſunt enim & illi, vt nihil aliud, certe homines) vbi audierint ſpinoſas illas, & inextricabiles argutias de inſtantibus, de formalitatibus, de quidditatibus, de relationibus? Præſertim vbi viderint, de iis adeo non conuenire inter magnos illos religionis profeſſores, vt frequenter vsque ad pallorem, vsque ad conuitia, vsque ad ſputa, nonnunquam & vsque ad pugnos inuicem decertent? Vbi Prædicatores pro ſuo Thoma cominus atque eminus dimicantes, Minoritas contra ſubtiliſſimos ac ſeraphicos doctores iunctis vmbonibus tuentes? Alios vt nominales, alios vt reales loqui? Si viderint rem vsque adeo difficilem eſſe, vt nunquam ſatis diſcuſſum ſit, quibus verbis de Chriſto ſit loquen-*

loquendum? perinde quaſi cum moroſo quopiam agas dæmone, quem in tuam ipſius perniciem euocaris, ſi quid te fefellerit in verbis præſcriptis ac non potius cum clementiſſimo Seruatore, qui a nobis præter puram ſimplicemque vitam nihil exigit.

§. XI. Hoc propoſitum pium ſine dubio quoque admodum (IX.) promouet *publica tutela*, ſub qua Miſſionarii gentilibus gratiam DEI annuncient, ſimulque, quæ ad hanc rem conducibilia ſunt, adornent. Ea non tantum gaudent prædicti Miſſionarii, ſed etiam ſub alis potentiſſimi Regis Daniæ plura alia inſtituta ſaluberrima adornata ſunt, multum miſſioni huic profutura, quæ referuntur in *præf.* der ſiebenden und achten *Continuat.* der Nachricht. Denique (X) quod olim Chriſtiani, in eccleſia Apoſtolica, & per aliquot ſecula ſibi incumbere recte credidere, vt ſcilicet fratrum indigentiæ conſulerent, & ſibi inuicem ſuccurrerent, id quoque omnibus his, qui conuerſionem infidelium ſerio exoptant (quod quidem quilibet fidelis quotidie in votis habere debet) commendandum ſuadendumque. Non quidem lucro & quæſtu tanquam hamo quodam ſunt infideles capiendi, & ad fidem trahendi; ita tamen comparatum eſt opus, in quo miſſionarii laborant, vt in remotiſſimis locis, ſine ſumtibus & expenſis, & ſine pauperum paſtura perfici haud poſſit. Hi ſumtus æque ſunt *depoſita pietatis* ac illi, qui erogantur in pauperes, alioſue pios vſus. Exempla non deſunt, quod ſumtus hi magis paſturæ miſſionariorum quam infidelium applicati fuerint, quod obſeruat quoque CLERICVS *cit. l. p. 402.* aſt nec deſunt exempla eorum, qui alia *depoſita pietatis* in peſſimos conuerterunt vſus, & pauperibus id ſubtraxere, quod iis deuotio aliorum deſtinauit. Quis vero inde colligeret, nihil ad alimoniam pauperum conferendum, aut opera charitatis non eſſe exercenda propter malitiam nonnullorum, qui eleemoſynas in debitum finem haut conuerterunt? Quæ ad ipſam *intimam* conuerſionis *rationem* pertinent, non tangam, quæ vel ipſa *Chriſtianiſmi indoles* ſuggerit, quæ ſi a miſſionariis negliguntur, conuerſio infidelium vtplurimum inaniſſima eſt. Ceterum il-

(9) publica tutela

(10) ſubſidia externa

lud ipſum, quod de *miſſionariis Danicis* retuli, nec inſolitum, nec a Proteſtantium inſtituto alienum eſſe, liquet ex eis, quæ TENZELIVS in denen Monathl. Unterred. *M. Sept. 1694.* tradidit. Imo etiam hoc inde conſtat, vtile eſſe, vt labores noſtratium in conuertendis infidelibus memoriæ tradantur, *vt tandem*, verba ſunt *p. 719.* adducta, *opprobrium reformatæ religionis tollant & graue improperium, quo Pontificii noſtros infamare conantur, quaſi omnem conuerſionem Indorum negligamus.*

per vim hoſtilem conuertendi methodus barbara eſt.

§. XII. Traduntur præterea adhuc plures alii modi, quibus *infideles* ad fidem Chriſtianam trahi poſſint. Barbarus & ipſi religioni contrarius modus, per *vim hoſtilem* conuertendi infideles, etiam in iure canonico paſſim reprobatur, quod alias a *dominatu in conſcientias* non alienum eſt. Ait GREGORIVS in *c. 3. D. 45. Qui ſyncera intentione extraneos a Chriſtiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis non aſperitatibus debent ſtudere, ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat reuocare, pellat procul aduerſitas. Nam quicunque aliter agunt, & eos ſub hoc velamine a conſueta ritus ſui volunt cultura ſuſpendere, ſuas illi magis, quam Dei cauſas probantur attendere.* Pergit poſt pauca, *agendum ergo eſt, vt ratione potius, & manſuetudine prouocati, ſequi nos velint, non fugere: vt eos, ex eorum codicibus oſtendentes, quæ dicimus, ad ſinum matris eccleſiæ Deo poſſimus adiuuante conuertere.* Similiter CLEMENS III. in *c. 9. X. de iudæis* ait: *Statuimus enim, vt nullus Chriſtianus inuitos, vel nolentes ad baptiſma eos venire compellat.* Plurimum aliorum Pontificum, vt CALIXTI, EVGENII, ALEXANDRI & COELESTINI ſententiam æquiſſimam ſecutus quoque eſt INNOCENTIVS III. *lib. II. ep. 302. edit. Baluz.* vbi verba Clementis repetit. Hæ & ſimiles conſtitutiones admodum neceſſariæ fuerunt, quod, prout in *prolegom.* ſummatim oſtenſum eſt, hæc violenta ad baptiſmum deductio olim vſitatiſſima fuerit. Conf. RICCIVLL. *lib. II. de iur. perſon. extr. eccleſ. grem. exiſt. c. 31.* GONZALEZ *ad cap. cit. 9. n. 5.* REINKING *de regim. ſec. lib. II. cl. 2. c. 3. n. 41.* Vix ab illis ſeparandi ſunt, qui legem infidelibus

dixere,

dixere, vt vel ſolum verterent, vel, quod approbat FERMOSINVS *ad c.9. X. de iud. qu. 1. n. 8.* baptiſma reciperent. Nec olim hæc methodus conuertendi iudæos incognita fuit, eamque titulo *ſanctæ ſeueritatis* & *violentiæ ſalutiferæ* honorarunt, quamuis parum referat, vtrum quis *directo*, an per *indirectum* vim patiatur, cum in exilio grauiſſima quoque calamitas latitet. Multus eſt & diffuſus in hac quæſtione MAIOLVS *ſupr. cit. l. de perfid. iudæor.* qui tamen ab hac *amica compulſione*, vt loquuntur, non adeo alienus eſt, quam Hiſpani vtplurimum ſecuti ſunt. Sed ſatis probe de illa BZOVIVS *ad ann. 1497. §. 27.* iudicat, &, *quid enim?* ait, *tu rebelles animos nullaque ad id ſuſcepta religione conſtrictos adigas ad credendum ea, quæ ſumma contentione aſpernantur, & reſpuunt? idque tibi aſſumas, vt libertatem voluntatis impedias, & vincula effrenatis mentibus iniicias? At id neque fieri poteſt neque Chriſti ſanctiſſimum Numen approbat. Voluntarium enim ſacrificium, non vi mala coactum ab hominibus expetit; neque vim mentibus inferri, ſed voluntates ad ſtudium veræ religionis allici & inuitari iubet. Porro autem quis ſibi id arrogare poteſt, quod ſolus diuinus ſpiritus efficit in eorum animis, qui non ad extremum vitæ ſpiritum illius benignitati repugnare contendunt? Ille namque ſolus eſt, qui mentes illuſtrat, & allicit, & inuitat, & eos, qui tantum munus non animo pertinaci & ingrado repudiant ad Chriſti confeſſionem & ſocietatem perducit. Poſtremo quis non videt, quam indignum ſit, hominibus in religionis ſtudio diuerſis tot myſteria, tot res ſacroſanctas, tantam rerum diuinarum rationem committere, & ſceleris occaſionem iis, qui Chriſti diſciplinam ludibrio habent, inconſiderate præbere, & ita religionem per religionis ſimulationem indigniſſime violari?*

Nec recte coguntur ad prædicationem verbi diuini audiendam.

§. XIII. Mitiores quaſdam vias alii excogitarunt, quæ tamen vel aliquid coactionis continent, vel ad veram conuerſionem parum conferunt. Huc referunt, quod ſingulis diebus Sabbathi conciones Chriſtianorum ſub certa pœna viſitare cogantur, id quod cum aliis approbant FERMOSINVS *ad c. 5. X. de iudæis qu. 1. n. 12.* MYLER ab EHRENB. *de principib.*

& ſta-

& ſtatib. imp. c. 60. §. 7. RICCIVLL. *cit. tr. lib. II. c. 37.* REINKING. *cit. l. n. 41.* quod hic modus non ſit coactio, ſed efficax perſuaſio. In Concilio Baſileenſi *ſeſſ. 19. c. 5.* apud HARDVIN. *tom. VIII. concil. p. 1190.* & *ſeq.* hic modus approbatus, & vt *iudæi aliique infideles ad orthodoxam conuerterentur fidem,* inſtituta quædam propoſita ſunt, imprimis vt *omnes diœceſani quosdam in literis diuinis bene eruditos aliquot vicibus annuatim deputent in locis, vbi iudæi aut alii infideles degunt, aut prædicandum & explanandum taliter catholicæ fidei veritatem, vt ipſi infideles, qui audiunt, ſuos valeant errores recognoſcere. At quam prædicationem ſub pœnis tam commercii per fideles illis interdicendi, quam aliis ad hoc opportunis ipſos infideles cuiuscunque ſexus in annis diſcretionis conſtitutos, accedere compellant. Ipſi autem diœceſani ac prædicantes ita ſe erga illos propitios ac caritate plenos exhibeant, vt non ſolum propalatione veritatis, ſed & aliis humanis officiis ipſos Chriſto lucro faciant. Chriſtianos autem cuiuscunque dignitatis aut ſtatus, quomodolibet impedientes, ne iudæi ad huiusmodi prædicationem conueniant, haud arceantur, notam fautoriæ infidelitatis incurrere ipſo facto decernit.* Addunt Patres huius Concilii non alios prædicantes horum conuerſioni deputandos eſſe, quam qui peritiam habent *Hebraicæ, Arabicæ, Græcæ* & *Chaldææ linguæ.* Idem conſtituit GREGORIVS XIII. voluitque, vt *in omnibus locis, in quibus adeſt numerus aliquis competens iudæorum, qui ſynagogam conſtituat; ſemel ſaltem in hebdomade pro eorum conuorſione prædicatio habeatur, ad quam ſub pœnis accedere cogantur omnes vtriusque ſexus maiores duodecim annis, & legitime non impediti in ciuitate habitantes, vel aliunde aduenientes, etiamſi ibi domicilium non habeant, per circuitum, ita vt ſaltem tertia eorum pars ſemper adſit.* Huic alii addunt hanc cautelam, vt talis prædicatio non inſtituatur in *eccleſiis Chriſtianorum,* a quarum ingreſſu infideles abhorrent; ſed in alio loco publico, veluti in *curia,* vel vbi alias conuentus ſolemnes haberi ſolent. Imo per *indirectum* iuſtam belli, infidelibus inferendi, cauſam ſubnaſci cenſent, ſi prædicationem impediunt, & conuer-

ſos

ſos male habent, quia hoc modo iniuriam Chriſtianis facere dicuntur, vt philoſophatur FERMOSINVS *ad c. 9. X. de iudæis qu. 1. n. 12.* Verum, vt hanc poſteriorem obſeruationem prorſus ridiculam non tangam, qualiscunque demum præcautio hic adhibeatur, ipſe tamen modus conuertendi ita comparatus eſt, vt a *coactione* haud abſit, & parum ſalutis inde ſperari poſſit. In eo enim cum reliquis conuenit, quod *inuiti* & *recuſantes* ad prædicationem eorum, a quorum abhorrent doctrina, audiendam trahantur, cogantur, & ſub pœna adigantur. Nulla eſt diligens & ſedula attentio in iis, quibus inuitis aliquid proponitur; abhorret animus ab eo, quod ex præconcepta opinione improbat, & neſcire mauult, quam intelligere; deeſt omnis fiducia erga eos, qui nos cogunt, vt eos inuiti audiamus. Quis ergo fructus ex tali conuerſionis modo expectandus, qui humanæ naturæ prorſus aduerſatur, nec ad animum penetrare poteſt? Vnde non deſunt exempla, infideles hoc modo ad conciones audiendas collectos, vel aures certa obturaſſe, vel occaſionem inde arripuiſſe, ſeſe magis obdurandi contra doctrinam Chriſtianorum, & ab eadem magis magisque abalienandi. Præparandi ante omnia ſunt infideles, vt ſponte audiant eos, & cum iis colloquia miſceant, qui hac de re cum ipſis conferre inſtituunt, prout in §. *antec.* iam obſeruaui.

§. XIV. Non poſſum facere, quin etiam memorem ſingularem plane & nouam rationem conuertendi infideles per *ſocietatem matrimonialem*, quæ admodum commendata eſt in *Obſeruat. Halenſ. tom. X. obſ. 10.* Præuidit AVTOR *huius obſeruationis* grauiſſima obſtacula, maxime inde oritura, quod matrimonium cum infidelibus prorſus reprobatum ſit. Inde hanc matrimonii libertatem multis argumentis, tam ex *ſcriptura ſacra*, quam ex *ratione recta* petitis, firmare ſtudet, & mala, quæ matrimonia Chriſtianorum cum infidelibus contracta premere dicuntur, omnibus malorum & impiorum coniugiis communia eſſe, dicit; addit tamen præcautionem in §. *vlt. dictæ obſeruat.* ne fideles ſolo veſano amore deluſi ad hæc matrimonia prouolent, hoſtemque

De modo conuertendi infideles per promiſcua matrimonia.

 dome-

domeſticum ſibi adiungant; ſed, moribus perſonæ amatæ probe perſpectis, animique habitu accuratius cognito, accedente ſpe conuerſionis, principem adeant, illiusque diſpenſationem expetant, ne contra leges publicas imperii egiſſe dicantur. Si verum fateri licet, intentio AVCTORIS non tam hæc fuiſſe videtur, vt ad *modus conuertendi* aliquid conferret, ſed vt *libertatem matrimoniorum cum infidelibus* laxaret, quorſum omnia eiusdem argumenta collineant, quibus obiter tantum hunc effectum addit. Quænam vis ipſius argumentis inſit, *ſectione ſequenti* indicabo & examinabo; hic tantum moneo, effectum, quem ex tali matrimonio ſperat, incertiſſimum, & vt plurimum fruſtraneum eſſe. Permittuntur hodie matrimonia inter diuerſæ religionis Chriſtianæ conſortes, qui in principiis non adeo diſſident; rariora tamen eorum exempla ſunt, qui coniugem errantem in ſuam pertraxerint ſententiam; multo minus ergo talis conuerſio ſperanda erit a coniuge infideli, ne dicam periculum ſubeſſe, ne ex tali *conſortio intimo*, & quod omnes alias coniunctiones ſuperat, coniux fidelis ſeduci & ad apoſtaſiam trahi poſſit. Nec hoc euitari poterit præcautione adducta, cum conſtet, matrimonio contracto, mores alterius ſæpe mutari, vt quo magis amor coniugalis creſcit, eo magis ſæpe alter ad alterius mores ſe attemperare ſtudeat, quo effectus ex tali matrimonio ſperatus æque facile inuerti quam obtineri poterit.

De modo conuertendi per interuentum pecuniæ.

§. XV. Denique nec illos ſine cenſura relinquendos eſſe cenſeo, qui *venalem religionem* noſtram faciunt, & *interuentu pecuniæ* proſelytas facere intendunt, quod non improbat FERMOSINVS *ad c. 9. X. de iudæis qu. 1. n. 4.* quaſi dona non cogant, nec tollant libertatem. Modum hunc olim admodum fuiſſe frequentem, docet BASNAGE *dans l'hiſtoire des Juifs lib. VIII. c. 6. §. 5.* nec GREGORIVS *lib. III. dialog. c. 7.* credidit, hanc conuerſionis methodum improbandam eſſe, *quia*, ait, *ſi non conuertuntur parentes, ad minimum eorum liberos lucramur*. Verum recte animaduertit BASNAGE *cit. l. c. 12. §. 20.* hanc rationem admodum intutam eſſe.

Ait:

Ait: *La Maxime n'eſt pas ſure, car les Enfans diſſimulent ſouvent que les Peres; & il n'eſt pas permis, de faire du mal, dans l'Eſperance incertaine, qu'il en arrivera du Bien.* Scite admodum ait BONIFACIVS in *c. 2. C. 1. qu. 2: Nusquam legimus Domini diſcipulos, vel eorum miniſterio conuerſos quempiam ad Dei cultum aliquo muneris interuentu prouocaſſe: niſi forte de pauperum alimento quis inconcinne proponat, quorum nulli, cuiuscunque profeſſionis eſſet, victualia negabantur. Scimus equidem, quod omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt diſcendens a patre luminum, a quo bonæ voluntatis donum accipit, qui ſancto deliberationis arbitrio gratis Deo ſeruire diſponit. Reſtat ergo, vt qui pro aliqua eccleſiaſtica ſuſceptione munus accipit, donum Dei, quod a patre luminum deſcendere debuit, vendat; munus autem largiens importunus emat. Quid autem de diuini doni venditoribus, vel emtoribus conſequatur, concludi neceſſe eſt. Cauete ergo fratres, quam ſit ambiguum, quod petiiſtis conſilium, quod quidem ſecundum veſtræ voluntatis propoſitum nulla inuenimus ratione confirmatum. Veruntamen, ſi veſtræ neceſſitati adeo eſt opportunus, quem reperiſtis, dum tamen omnis abſit pactio, omnis ceſſet conuentio, nullaque veſtræ eccleſiæ fiat diſtractio, accedat, gratis Deo ſeruire incipiat, ſuique regiminis deuote geſtet obſequium; & poſtmodum vos quaſi ſubſidii gratia, aliqua ſuæ eccleſiæ munera largiri fratrum ſolatio Romana permittit eccleſia.*

Amica conuerſatio cum infidelibus magis promouet eorum conuerſionem

§. XVI. Tutior eſt ſine dubio illa methodus, qua Saluator noſter vſus eſt, vt infideles, qui inter nos viuunt, humaniter tractemus, nec eorum commercia aut colloquia amica vitemus. Ita cenſuit AVGVSTINVS in *c. 17. C. 23. qu. 4.* aiens: *Infideles non poſſumus Chriſto lucrari, ſi eorum colloquium vitamus, & conuiuium. Vnde & Dominus cum publicanis & peccatoribus manducauit & bibit.* In eandem non obſcure inclinauit ſententiam GREGORIVS M. in *c. 3. D. 45.* aiens: *qui ſincera intentione extraneos a chriſtiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis non aſperitatibus debent ſtudere, ne quorum mentem reddita ad planum*

ratio poterat reuocare, pellat procul aduerſitas. Nam quicunque aliter agunt, & eos ſub hoc velamine a conſueta ritus ſui volunt cultura ſuſpendere, ſuas illi magis quam DEI cauſas probantur attendere. Poſt pauca pergit: *cur iudæis, qualiter ceremonias ſuas colere debeant, regulas ponimus, ſi per hoc eos lucrari non poſſumus? Agendum ergo eſt, vt ratione potius & manſuetudine prouocati ſequi nos velint, non fugere: vt eos, ex eorum codicibus oſtendentes, quæ dicimus, ad ſinum matris eccleſiæ Deo poſſimus adiuuante conuertere.* Et tamen leges & canones admodum huic *conſortio amico* reſiſtunt, magnum diſcrimen inter *fideles* & *infideles* inducendo, quod *ſectione ſequenti* indicandum erit. Non tantum enim infideles a Chriſtianis ſeparandi ſunt quoad *veſtitum*, ſed imprimis quoad *ſtatum*, & *iura communia*, quorum intuitu adeo deterioris conditionis ſunt, vt fere *maculati*, & *ſeruilis* quodammodo *conditionis* habeantur, & ab omni *commercio ciuili* & *ſacro* excludantur, vt RICCIVLLVS *cit. tr. lib. II. c. 22.* & *ſeqq.* plenius indicat. Pleniſſima de hoc commercio familiari cum infidelibus interdicta ſunt concilia, & pontificum decreta, in quibus hæc ratio commendatur: *Quoniam iudæorum mores, & noſtri in nullo concordant, & ipſi de facili ob continuam conuerſationem, & aſſiduam familiaritatem ad ſuam ſuperſtitionem & perfidiam ſimplicium animos inclinant.* Vid. *c. 8. X. de iud.* In *Concilio Venet.* anno 465. *can. 12.* apud HARDVINVS *tom. II. actor. concilior. p. 798.* & GRATIANVM *c. 14. C. 28. qu. 1.* clericis iudæorum conuiuia prohibita, ſimulque iis interdictum eſt, *ne eos ad conuiuium quisquam excipiat.* Similiter in *c. 13. C. 28. qu. 1.* qui deſumtus eſt ex *Concilio quiniſexto c. 11.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 1663.* clericis ſub pœna *depoſitionis*, & laicis ſub *excommunicationis* prohibitum, *ne quis cum iudæis habitet, aut aliquem eorum in ſuis infirmitatibus vocet, aut medicinam ab eis percipiat, aut cum eis in balneo lauet*; quod etiam repetitum *c. 5. X. de iud.* In *Concilio Eliberitano* anno 313. celebrato *can. 50.* apud HARDVIN. *tom. I. concil. p. 255.* conſtitutum: *Si quis clericus vel fidelis cum iudæis cibum ſumſerit, placuit eum a communione abſtinere,*

quam canones imprudenter damnant & prohibent.

nere, vt debeat emendari. In *Concilio Matiſconenſi I.* anno 581. celebrato *can. 15.* apud HARDVIN. *tom. III. Concilior. p. 453.* idem confirmatum, vt *nullus Chriſtianus iudæorum conuiuiis participare præſumat; quod ſi facere quicunque, quod nefas eſt dici, clericus aut ſecularis præſumſerit, ab omnium Chriſtianorum conſortio ſe nouerit compeſcendum, quisquis eorum impietatibus fuerit inquinatus;* quod etiam in *Concilio Epaonenſi,* anno 517. celebrato, *can. 15.* apud HARDVIN. *cit. l. tom. II. p. 1049.* confirmatum. Plura alia ſpecialia huc pertinentia collegit RICCIVLLVS *cit. tr. lib. II. c. 41.* veluti, quod Chriſtianis haud permiſſum eſſe debeat vna eademque ſchola cum infidelibus vti, barbitonſorem iudæum ad venam ſecandam adhibere, aut accedere ad eorum nuptias, ludos, vel choreas, vel eosdem ad noſtras nuptias inuitare, vel ſepulturis eorum intereſſe, quod anno 1322. in *Concilio Palentino can. 21.* apud HARDVIN. *tom. VIII. concil. p. 1479.* cautum fuit. Et longum foret, omnes conciliorum adducere diſpoſitiones, quæ tali commercio admodum ſalutari reſiſtunt. Conf. FERMOSINVS *ad c. 1. X. de iudæis qu. 2.* Vnde non mirandum eſt, ex his obſtaculis imprudentiſſimis magis impediri conuerſionem infidelium, quam mala inde metuenda præcaueri, quæ ita comparata ſunt, vt alia ratione declinari poſſent. Quam diu itaque his legibus viuitur, quas admodum commendat RICCIVLLVS *cit. l. lib. II. c. 38.* & *ſeq.* imo quamdiu ſtatus fidelium & infidelium in iure communi fruendo haud exæquatur in noſtris rebus publicis, vix vlla conuerſionis ſpes ſupereſt.

& ſic impediunt conuerſionem.

§. XVII. Quamuis vero violentia eiusmodi conuerſio a plerisque improbetur, plures tamen non iniquum eſſe cenſuerunt, iudæis & aliis infidelibus liberos ſuos auferre, eosque baptizare, vt ita a tenera ætate ad fidem Chriſtianam educentur. Iam olim *an. 633.* in *Concilio Toletano IV. can. 60.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 591.* id conſtitutum fuit his verbis: *Iudæorum filios, vel filias, ne parentum vltro inuoluantur erroribus; ab eorum conſortio ſeparari decernimus; deputatos aut monaſteriis, aut Chriſtianis viris ac mulieribus*

Infidelibus liberos recte auferri, & eos in vitiis parentibus baptizari poſſe plures ſtatuunt.

ribus Deum timentibus: vt ſub eorum conuerſatione cultum fidei diſcant, atque in melius inſtituti tam in moribus quam in fide proficiant. Tempore IVSTINIANI & ſucceſſoris eius in oriente hæc ſeueritas incognita fuit. Id tantum cautum in *Nouell. 144. c. 2.* quæ eſt IVSTINI ſucceſſoris IVSTINIANI, vt infideles non aliter ad baptiſmum admittantur, quam ſi per duos annos in fide inſtituti fuerint, infantes autem eorum, qui per ætatem doctrinam intelligere nequeunt, ſtatim admiſit, quod tamen intelligendum eſt, ſi parentes adhuc catechumeni id deſiderauerint. Admodum olim de hac quæſtione diſceptaſſe Dd. conſtat ex iis, quæ a RICCIVLLO *cit. tr. lib. II. c. 32.* FERMOSINO ad *c. 9. X. de iudæis qu. 2. n. 1. ſeqq.* & VLDALR. ZASIO *tom. V. qu. 1. de Iudæis*, adducta ſunt, duobus prioribus, quod mireris, in *negatiuam*, ZASIO vero in *affirmatiuam* magis inclinante.

Ratio prima a matrimonii diſſolutione deſumta examinatur

§. XVIII. Rationes ZASII hæ ſunt: Quod magis vinculum ſit matrimonii, quam *patriæ poteſtatis*, cum hæc pro lubitu, non illud tolli poſſit; iam vero, pergit, matrimonia propter infidelitatem ſoluuntur, ergo multo magis patria poteſtas in his, quæ impedimento fidei ſunt, ſublata dici debet, vt non obſtante ea ad baptiſmum rapi poſſint paruuli. Verum quis non videt argumenti huius ineptiam? Id vnice inde infertur, quod ſicuti coniux ad fidem conuerſa quandoque iuſta de cauſa recedere ab infideli poſſit, ita & liberi, ſponte ad fidem Chriſtianam inclinantes, ſub obtentu *patriæ poteſtatis* non poſſint a conuerſione reuocari. Neque enim *ipſo iure* per conuerſionem tollitur matrimonium, vt fidelis infidelem relinquere cogatur, & ſic nec vinculum *poteſtatis patriæ* hic ſolui dici poteſt, vbi ne quidem infantes baptiſmum deſiderare poſſunt. Si ſemel infideles recepti ſunt in tutelam reipublicæ, communi quoque iure & libertate frui debent quoad educationem liberorum, ſine qua *publica tutela* frui nequeunt, quin potius loco eius publicas calamitates, perſecutiones & oppreſſiones ſe perpeti, iuſte crederent. Alteram rationem inde petit, quod *æternus interitus animæ longe ſit grauior temporali.*

Altera ab æterno interi

Cum

Cum ergo, infert, ſubuenire ei, cui periculum mortis temporalis imminet, fraterna charitas & docet & iubet, maiori & nexu & præcepto ſubueniendum ei, cuius anima periclitatur. Ieiunam hanc eſſe philoſophiam, quis non animaduertit? Si quid veri huic argumento ineſſet, etiam *conuerſio violenta infidelium* approbanda foret, ſub hoc prætextu, quod ſicuti perire volenti reſiſtendum ſit, ita multo magis, cui æternæ ſalutis iactura imminet, per vim ad conuerſionem rapiendus ſit. Vtrumque quidem præcauendum, ſed diſpari ratione. Illud quidem etiam vi adhibita, vt etiam qui ſibi manus violentas inferre intendit, a propoſito reuocetur, & impediatur: hoc vero, quia curam animæ tangit, adhibita tali medela, quam ſana ratio, & religionis indoles approbat, quæ ab omni coactione aliena eſt. Eodem argumento infideles & hæretici, & maxime Saraceni, vti poſſent, ſi dominante religione præualerent, cum nos infideles & hæreticos eſſe credant, quod tamen ZASIVS iis haud indulgebit. Interim tamen, quod quisque iuris in alterum ſtatuit, idem ius quoque contra ſe admittere debet. Tertium argumentum huc redit, *quod homo magis ſit Dei, quam patris naturalis, a quo tanquam cauſa minus principali corpus habet, cum Deus ſit corporis creator & animæ.* Iam vero, pergit, pater iſte temporarius Deo creatori reniti reſultareue non debet, filios ſuos per principes, qui a Deo ſunt conſtituti, in familiam ſuam vindicandi, & quaſi liberali cauſa a dæmonis grauiſſima ſeruitute aſſerendi. Dominium creatoris violari credit, dum patris iuri parcitur, abſurdumque eſſe, vt modicula patris poteſtas plus poſſit ad perdendum, quam auguſta creatoris dominatio ad ſaluandum. *Cedat ergo,* animoſe concludit, *iudæus perfidus Deo fideli, perditor ſaluatori, trux benigno, cruentus innocenti, mancipium domino, dæmonis proles Dei filio, tenebræ luci, ſtyx cœlo, ſileatque cum ſua poteſtate colluuioſus pater, vt ſuum vindicet luminoſus creator.* Si ZASIVS fuiſſet iudæus vel Saracenus, eodem ſine dubio argumento contra Chriſtianos vteretur; quid vero tum ipſemet reſponderet ZASIO alicui fideli,

tu præcauendo deſumta examinatur.

Tertium argumentum a dominio Dei deſumtum ſub examen reuocatur

deli, imprudendi quodam zelo æſtuanti? Quærit hic de dominio Dei in creaturas, quod *patriæ poteſtati* præferendum eſſe negari nequit. Quis vero illud dominium in his terris exercere debet? Reſpondet ZASIVS: princeps, cui eo ipſo dominatum in *animam* & *conſcientiam* tribuit, quia ipſe Deus dominium in corpus & animam exercet. Verum hoc magis *clero* videtur indulſiſſe, qui *miniſterio principis* in his, quæ ad fidem & conuerſionem ſpectant, vti ſolet, in quo abſurdo refellendo vlterius non immorabor.

Quartum argumentum ab efficacia baptiſmi deſumtum examinatur.

§. XIX. Hic non ſubſiſtit ZASIVS: plures addit rationes friuolas, quæ imbecillitatem iudicii eius arguunt. Quarta enim eius ratio hæc eſt: baptiſmus ad ſalutem eſt efficacior verbi diuini prædicatione. Si ergo ei ſocordia imputatur, qui publicare diuinam ſeriem negligit, multo fortius imputandum eſt ei, qui cum potuit, paruulos infideles fonte ſalutis non lauerit. Illuſtrat hoc ipſum ex dicto Prophetæ, *maledictum eſſe eum, qui opus Dei negligenter faciat.* Reſpexit forſan ZASIVS ad eorum ſententiam, qui infideles ad conciones audiendas cogi poſſe opinati ſunt, quos iam ſupra refutaui; vel ſi huc non collineat, ex eius argumento contrarium inferri poſſe autumo. Sicuti enim infidelibus inuitis *verbum diuinum* obtrudi nequit, ita nec *baptiſmus* inuitis dandus illisque obtrudendus, qui ſub *lege libertatis conſcientiæ* recepti ſunt, quam integram ſeruare nequeunt, ſi fides Chriſtiana illis obtruditur, qui ab eorum educatione pendent. Id ſemper in baptiſmo paruulorum creditum fuit, parentum fidelium, liberos baptiſmo offerentium, fidem liberis quoque prodeſſe, quod ad hunc caſum nullo modo applicari poterit. Quintam rationem rurſus ex limitibus *patriæ poteſtatis* deducit, oſtenditque ex variis iuris articulis, quod hæc in perniciem liberorum tendere non debeat; quod ſi verum eſt, ait, vbi de temporariis commodis agitur, quanto magis procedere debet, vbi de æternis de ſpiritualibus, de cura animarum tractatur. Verum hoc argumento tantum probatur, liberos prætextu *patriæ poteſtatis* impediri non poſſe, quo minus *ſponte* ad noſtram trans-

Quinta ratio a reſtricta poteſtate patria hauſta reprobatur.

tranſeant religionem; vt autem inuitis parentibus diripiantur, & ab iis in ea ætate, in qua nullum adhuc ſenſum religionis habere poſſunt, ſeparentur, inde minime euinci poterit. Neque enim, ſi inuitis parentibus baptizati eſſent, eorum educationi vlterius permitti poſſent, ſed principi permiſſum foret, ad inſtar mancipiorum infantes recens natos parentibus prætextu *religionis* auferre, quod admodum luctuoſum foret, omnique humanitati, quæ tamen ſubditis debetur, contrarium, quod agnoſcit FERMOSINVS *cit. l. n. 2.* Neque enim ſubditi qua tales, ſiue fideles fuerint, ſiue infideles, mera principis ſunt mancipia, ſed *libertate ciuili* gaudent, & iure familiæ ſuæ fruuntur.

§. XX. Sextum argumentum lepidum eſt, & ex quisquiliis priſtinarum tenebrarum natum. Ait: iudæos ſeruos eſſe, & ſic per principem tanquam *mancipia* vendi, vel, ſi ita videatur, bonis ſuis tanquam *peculii iure* exſpoliari poſſe, quod ex iure canonico, eiusque interpretibus illuſtrat. Huic argumento paucis ropono illud HORATII: *odi profanum vulgus & arceo. Sectione ſequenti* ſtatum infidelium ab iniuria maleuolorum vindicabo, oſtenſurus, eos ſeruorum proprie dictorum numero non habendos, ſed *ſubditorum* ceterorum claſſi inſerendos eſſe, oppidoque falſum, bona eorum iure peculii iis recte auferri, quod tot legibus & canonibus aduerſatur. Ipſe ZASIVS in argumentis adductis *patriæ poteſtatis* eos compotes fecit: quomodo ergo in hoc argumento eos *ſeruis* annumerare poteſt, qui *patriam poteſtatem* in liberos nullam habent? Aut ergo hoc argumento abſtinere, aut vero in prioribus argumentis ſimpliciter negare debuiſſet, iudæos in poteſtate ſua liberos non habere.

Sextum argumentum erroneum eſt, inde deductum, quod infideles ſint mancipia.

In ſeptimo argumento rurſus ſui immemor eſt, illudque rurſus ex viribus patriæ poteſtatis trahit, quod pater liberos, quos male tractat, aut ad impietatem deducit, emancipare debeat. Teneamus lupum auribus. Quid vero inde aliud concluditur, quam quod pater ad liberos religionis intuitu emancipandos cogi poſſit, ſi ſcilicet *ſponte* noſtris ſeſe offerunt ſacris, ſi ſerio ad conuerſionem adſpirant, a qua

Septimum argumentum petit ex iure ciuili quod pater ab impietatem liberos emancipare cogatur.

qua per paternam diſciplinam retrahuntur? Id ipſum vero ad infantes tenellos, in cunis adhuc degentes, applicari nequit, vtpote quibus nullum deſiderium ambiendi ſacra noſtra tribui poterit. Octaua ratio minus concludit. Ait, non eſſe maiorem poteſtatem patris iudæi in filios, quam patris Chriſtiani in liberos ſuos; hunc autem cogi poſſe, vt liberos ſuos baptiſmo offerat, ergo etiam illum. Sed ratio diuerſitatis in propatulo eſt, quod Criſtiani *legibus eccleſiaſticis* viuant, non iudæi, & ſic illi iure communi Chriſtianorum vti debeant, quo exemti ſunt iudæi, quantum ad religionis culturam attinet, vt *ſupra cap. I. §. 8. p. 47.* euictum eſt. Ceterum plura adhuc circa hoc argumentum moneri poterant, cum etiam illud alia ratione in abuſum trahatur, a quibus tamen abſtineo, interim B. L. ablego ad illa, quæ PHILIPPVS a LIMBORCH *in hiſtor. inquiſit. lib. III. c. 22. p. 237. ſq.* de hoc argumento ediſſerit. Nona ratio cum tertia fere conuenit. Quod ſi domino temporali, ait, ſi patri naturali exhiberi ſibi ſuum, ſuam prolem petenti interdicto ſuccurritur, quanto magis æterno & domino & patri ſuum & ſeruum & prolem in familiam ſuam reducere cupienti mos eſt gerendus. Argumentum hoc a foro ciuili petitum eſt, ſed ita comparatum, vt inde appareat, nihil tam abſurdum, quod non aliqua ratione iuris inſulſe applicata colorari & incruſtari queat. Merito hic inquirendum foret, quisnam nomine Dei de *liberis exhibendis* agere deberet? Si dicis, princeps; vtique prius ad cauſam ſe legitimare deberet, quod hanc poteſtatem a Deo acceperit, qui quidem vult omnes homines ſaluos fieri, ſed non per *brachium ſeculare*, verum per alia media ſpiritualia. Decimam rationem petit ex præcepto Saluatoris, quo *inimicos noſtros* diligere iubemur, charitatis autem primarium ſignum eſſe, ait, reuocare errantem. Hæc ratio plus probat, quam debebat, quia ſi eidem aliqua vis ineſſet, ſub prætextu *charitatis* infideles indiſtincte rapi poſſent ad baptiſmum, quod abſurdum eſt. Charitas coactionem nullam admittit, maxime in iis, quæ conſcientiam tangunt, quæque non poſſunt fieri ſaluo iure communi, quo quilibet gaudet. Denique in vltima ratione prouocat

Octauum argumentum reiicitur quo a patria poteſtate Chriſtianorum ad infidelium poteſtatem concludit.

Nona ratio cum tertia conuenit & ex interdicto de liberis exhibendis deſumta.

Decima ratio a dilectione inimicorum petita reiicitur.

Vltima ratio gentilis eſt.

cat ad illud PAPINIANI, quod ſumma ſit ratio, quæ pro religione facit, quæ ratio tanto ICto indigna eſt. Loquitur ICtus ethnicus de *religione*, ſiue qualitate, quæ ſepulchris olim tribuebatur, & ex hac hypotheſi maxime erronea concludit, in quæſtionibus controuerſis primario illam eſſe rationem admittendam, quæ *religioni* fauet, ſiue qualitati ſepulchrorum accommodata eſt. Quis vero inde argumentum ad religionem, quatenus doctrinam Chriſtianorum denotat, traheret? In ſequentibus reſpondet ad rationes diſſentientium, quas antea adduxerat, quod vt ſub incudem reuocemus, haud neceſſe eſt, cum argumenta ab ipſo in contrarium adducta iam ſatis reprobata ſint. Supereſſet vt pro firmanda noſtra ſententia argumenta RICCIVLLI in medium adduceremus, quæ tamen pleraque ex *ſcholaſtica theologia* deſumta ſunt, vt ſub his ſecure contendere vix liceat. Hoc vnico ergo noſtram ſententiam firmabimus præſidio, quod nullum ſolidum argumentum proferri poſſit, quo principi ius iudæorum, in tutelam publicam ſemel receptorum, liberos auferendi attribui poſſit. Denique etſi RICCIVLLVS & FERMOSINVS aliique nobiscum conſpirent, addunt tamen quasdam limitationes, in quibus ſententiam contrariam admittendam cenſent, veluti ſi paruulus in mortis articulo conſtitutus ſit; aliasque quas ita comparatas eſſe iudico, vt facile reiici poſſint. Talem ſane methodum conuertendi infidelium liberos CHRISTVS haud præſcripſit, quam proinde eius ſerui & miniſtri; quibus hoc negotii datum eſt, minime adhibere debent.

§. XXI. Docent vero tum obiectiones Zaſianæ, tum noſtræ reſponſiones, hoc, de his *infidelibus*, qui ſunt *liberi*, nec in alterius proprietate conſtituti, intelligendum eſſe. Illis enim ius ſaluum & illibatum in *liberos* relinquendum, nec parentes infideles a conſortio liberorum abſtrahendi, quod neceſſario faciendum eſſet, ſi inuitis iis ad baptiſmum trahi poſſent. REINKING. *de regim. ſecul. lib. II. claſſ. 2. c. 3. n. 43.* Captiuorum infidelium, qui in iuſtam ſeruitutem ſunt deducti iure retorſionis, diuerſa eſt ratio, cum nati ex ancillis dominorum *proprietati* ſubiiciantur, vi cuius dominus *(Mancipiorum infidelium liberi a dominis baptiſmo offerri poſſunt,)*

 mox

mox infantem matri auferre, educationem eius aliis committere,& ſic quoque eum *ſuo iure*, quo pater, baptiſmo offerre poteſt. RICCIVLL. *cit. l. c. 32. n. 29.* BALDVINVS *de caſib. conſc. lib. IV. c. 8. caſ. 8. n. 3.* REINKING. *cit. l. n. 44.* L. B. de LYNCKER *de baptiſm. c. 1. §. 6.* FERMOSIN. *ad c. 9. X. de iudæis qu. 2. n. 19. ſq.* Neque dubium eſt, quin etiam infantes ab infidelibus parentibus *expoſiti* baptiſmo a Chriſtianis, qui eorum curam & educationem, quam parentes dereliquerunt, ſuſceperunt, baptiſmo offerri poſſint, cum hoc modo nemini iniuria inferatur. Denique idem quoque dicendum videtur de liberis ex *ſtupro infidelium* natis, ſi rationi vulgari Dd. inhæremus, quæ communiter ex viribus *patriæ poteſtatis* deſumi ſolet, quam hoc caſu leges patri denegant. Ego hic ſubſiſto, cum ab efficacia *patriæ poteſtatis* deciſionem vnice haud petendam eſſe exiſtimauerim, ſed potius ab *educatione*, quæ parentibus debetur, quæque στοργὴν naturalem iis conciliauit, ob quam durum foret, liberos a parentibus auellere. Qui ex ſtupro nati ſunt, licet in poteſtate parentum *ciuili* non ſint, in matris tamen poteſtate *naturali* ſunt, a qua auelli, tanquam mera mancipia, haud debent nec poſſunt. Ne dicam inter Germanos matri quoque quandam poteſtatem in liberos legitimos competere, nec omnia inter nos componi poſſe ad ſcita rigoroſa patriæ poteſtatis inter Romanos vſitatæ.

[Margin: vt & expoſiti] *[Margin: An ex ſtupro nati?]*

[Margin: Quid ſi liberi ſponte ſe offerant baptiſmo, inuitis parentibus?]

§. XXII. Plus ruboris habent argumenta ZASII antea reiecta eo in caſu, ſi liberi infidelium, ſub poteſtate quidem adhuc conſtituti, eius tamen ætatis, vt religionis negotium intelligere & ſenſum pietatis admittere poſſint, *ſponte* ſeſe offerant baptiſmo, & ſerio conuerti deſiderent. ZASIVS *cit. tr. de iudæis qu. II.* ſpeciatim hoc thema pertractat, docetque, quod, non obſtante contradictione parentum, ad baptiſmum admitti poſſint. Agitata eſt ante biennium, & quod excurrit, hæc quæſtio Berolini, in caſu, quo duæ puellæ, iudæorum filiæ, tenerioris adhuc ætatis, fidem Chriſtianam amplecti deſiderabant, parentibus anxie & ſollicite id agentibus, vt eas a propoſito auocarent, contenderentque, ſibi

ſibi liberos ſuos eſſe exhibendos reſtituendosque. Duplex hic quæſtio tum de *voluntate* liberorum ſufficiente, tum de *iure parentum* incidit. Illa ante *legitimam ætatem* rarius ſeſe exſerit, adeoque quæ illa dicenda ſit, in diſcrimen ambiguum vocatur. Neque enim negari poterit, poſſe infantes quandoque impetu quodam iuuenili, ſine vero conuerſionis deſiderio, adduci, vt ſe baptiſmo offerant, cum vix *ſenſum religionis* habeant. ZASIVS *cit. l.* & RICCIVLLVS *cit. l. c. 33.* annum *ſeptimum* impletum ſufficere putant, vt deſiderium eorum admitti poſſit, idque inde probant, quod hac ætate iam tali ſint intellectu præditi, vt poſſint quædam *negotia ciuilia* peragere, peccare, & ſe naturaliter obligare, adeoque vel ex Chriſti monito paruulos non eſſe impediendos, quo minus ad eum veniant, inde colligit. Ego rurſus hic ſubſiſto, nec ex ſolis annis, ſed ex aliis circumſtantiis, quæ deſiderium conuerſionis in paruulis generarunt, iudicandum eſſe arbitror, an ſerio voluntatem ſeſe conuertendi habeant? Id negotii dandum eſt Theologis diſcretis, qui, quod factum eſt in caſu Berolinenſi, intima cordium eorum perſcrutentur, quo facto, gratiæ diuinæ, quæ in iis operatur, locus relinquendus eſt. De *iure parentum* contranitentium hic non adeo quærendum eſt, cum poteſtas eorum ad ea, quæ gratia diuina in liberis operatur, extendi non debeat, quin quod plerique contendant, tranſeuntem ad fidem catholicam liberari a patria poteſtate vt FERMOSINVS *ad c. 5. X. de iudæis. qu. 2. n. 3.* ſtatuit, quam ſententiam *ſect. II. c. 2.* examinabo. Quamuis vero Pontifex in *c. f. X. de conuerſ. infidel.* rationem aliquam *patriæ poteſtatis* habendam eſſe exiſtimauerit, de hoc caſu tamen non loquitur, ſed de eo potiſſimum conſultus fuit, apud quem, ſecuto diuortio, filius educandus ſit, vtrum apud patrem *fidelem*, an matrem *infidelem?* vbi pro patre decidendum eſſe ſtatuit tum *ob patriam poteſtatem*, tum ob *fauorem fidei.* Conf. REINKING. *cit. l. n. 46.* Ceterum ſi in cauſis, quæ conſcientiam tangunt, & opus conuerſionis concernunt, poteſtas principis eiusque imperium quieſcit,

quæ hoc in caſu ſit legitima ætas?

ecquis quæſo patri maius imperium in liberos concedet, qui ad diuerſam religionem accedere volunt?

conuertendi ſtatum catechumenorum induunt

§. XXIII. Quodſi infideles ad fidem noſtram tranſire parati ſunt, rurſus *nouum ſtatum* induunt, & quidem, ante baptiſmum, *catechumenorum;* poſt illum vero, *fidelium,* qui in multis adhuc diſtinguebantur. Scilicet quamdiu infideles adhuc præparandi erant, & in rudimentis fidei informandi, quod imprimis per *catecheſin* fiebat a *catechiſtis,* infidelium numero abſolute accenſeri non poterant, ſed in quadam cum Chriſtianis iam erant communióne, quæ demum *plene* per baptiſmum perficiebatur. A baptiſmo enim *vniuerſi iuris ſacri* inter *fideles* dependebat communio, qua catechumeni nondum gaudebant. Inde diuerſus eorum ſtatus, diuerſaque iura, quæ nec hodie in totum ceſſant. Sic (I) nondum dicuntur eſſe in *eccleſia,* quatenus hæc *cœtum fidelium* denotat, qui tales demum dicuntur poſt baptiſmum. In hoc ſenſu ſtricto Patres vtplurimum *eccleſiæ* conceptum formant, quo poſito, catechumeni *eccleſiæ* accenſeri non poſſunt, quod vlterius illuſtrat RICCIVLLVS *lib. III. cit. tr. c. 4.* Quia tamen (II) iam in *limine* ſunt *eccleſiæ,* non abſolute *extra eccleſiam* dici poſſunt, nec antiquitas eos *abſolute* excluſit, adeo, vt nonnunquam catechumenos ad epiſcopatum admouerit, ceu exemplo AMBROSII conſtat, id minime factura, ſi nullum prorſus cum eccleſia haberent commercium. Vid. GISBERT. VOETIVS *P. I. polit. eccleſ. lib. I. cap. 2. p. 32.* Inde in quibusdam cum reliquis Chriſtianis fidelibus conueniebant, in quibusdam differebant, imo & *catechumenorum* claſſes erant, vt oſtendit BASNAGE *diſſert. 12. de catechum. §. 2. tomo II. annal. eccleſ. p. 563.* inſerta, ex quibus etiam quandam iurium inter ſe diuerſitatem habebant. In eo cum *fidelibus* conueniebant, quod catechumeni legibus Chriſtianorum ſe ſubiicerent, vt obſeruat ALBASPINAEVS *ad can. 10. Concilii Eliberini in fin.* ſimulque reciperent, ſe Chriſti legem ſecuturos, vt IDEM *ad Tertullian. de pœnit. c. 7.* docet, quamuis poſterius de illis

an ſint in eccleſia?

In limine eccleſiæ ſunt

legibus eccleſiæ ſubiecti.

lis intelligendum ſit, quorum baptiſmus iamiam proxime inſtabat.

§. XXIV. In hoc tamen a *fidelibus* diſtinguebantur (α) quod non pariter cum *fidelibus* orarent, nec euchariſtiæ intereſſent, multaque iis occultarentur. Communio precum & euchariſtiæ ſummum *communionis eccleſiaſticæ* argumentum erat, inde CLEMENS *lib. IIX. conſtitution. cap. 40.* ait: *Fidelis vna cum catechumeno nec domi orat. Non eſt enim æquum, initiatum vna cum eo, qui non eſt initiatus, coinquinari.* Vid. BASNAGE *cit. l.* §. *6.* Imo ne quidem orationem Dominicam recitare poterant, obſeruante ALBASPINAEO *lib. I. de veterib. eccleſ. ritib. obſeru. 19.* §. *6.* & *ſeqq.* ſed poſt primas conciones & ante celebrationem euchariſtiæ ſecedere iubebantur. In *Concilio Arauſicano I.* anno 449. celebrato *can. 19. & 20.* ap. HARDVIN. *tom. I. concilior. p. 1785.* adeo indigne habentur, vt ne quidem ad baptiſterium accedere potuerint. Additur præterea: *a fidelium benedictione etiam inter domeſticas orationes, in quantum caueri poteſt, ſegregandi informandique ſunt, vt ſe reuocent, & ſignandos vel benedicendos ſemotim offerant.* Quam ſedulo præterea iis *diſciplina arcanorum* occultata fuerit, docet BASNAGE *cit. l.* §. *4.* & *ſeq.* non iisdem fruuntur cum fidelibus ſacris

Hac de cauſa ſi in ſtatu catechumenatus decedebant, eccleſiaſtice non ſepeliebantur, quod conſtitutum eſt in *Concilio Bracarenſi I.* anno 561. celebrato *can. 17.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 352. Item placuit, vt catechumenis ſine redemtione baptiſmi defunctis, ſimili modo neque oblationis commemoratio, neque pſallendi impendatur officium.* Ex his enim oblationibus, quæ pro defunctis fiebant, communio eccleſiaſtica inducebatur, a qua adhuc excluſi erant ante baptiſmum catechumeni, vt plenius oſtendit Dn. PRAESES in *diſſert. de iure denegandi communion. cœmet.* §. *6.* & *ſeqq.* Inde admodum errat ALBASPINAEVS *lib. I. cit. obſ. 10. in f.* exiſtimans, catechumenorum *oblationes* receptas fuiſſe ante baptiſmum defunctorum, quod teſtimonia contraria reperire non potuerit, quorum veſtigium tamen iamiam adductum eſt. Quemadmodum vero tam ſeuere hodie cum catechumenis nec olim eccleſiaſtice ſepeliebantur.

nis non agitur, nec ipſimet a *communione precum* excluduntur, (quod vix in maioribus noſtris excuſari poterit) ita quoque nec *communio cœmeterii* illis deneganda erit, ſi ſerium ſtudium conuerſionis præ ſe tulerint, præſertim cum nec olim, qui in *ſtatu pœnitentiæ* mortui erant, ab hac communione excluderentur.

delinquentes pœnitentiæ publicæ haud ſubiecti ſunt

§. XXV. Præterea quoque (β) non iisdem, quibus fideles, ſubiiciebantur cenſuris eccleſiaſticis. Qui per baptiſmum *fidelium* numero adſcripti erant, & ad *communionem eccleſiaſticam* admiſſi, per delicta grauiora illa excidebant, & per *excommunicationem* eiiciebantur, nec reſtituebantur in integrum, antequam *pœnitentiam eccleſiaſticam* egiſſent. Quia vero catechumeni nondum in *communionem* erant admiſſi, etiam ab illa nec excludi, nec *publicæ pœnitentiæ* ſubiici poterant, in hunc finem, vt communioni reſtituerentur. Obſeruat id ipſum ALBASPINAEVS *lib. II. de veterib. eccleſ. ritib. c. 1. n. 2.* aiens: *Publicam non fuiſſe pœnitentiam, catechumenos non fuiſſe coactos in foribus aut limine templorum pœnitentiæ leges ſubire, neque quas baptizati tolerare tenebantur pœnas, & afflictationes, argumento & indicio illud eſt, quod nullibi apud Patres deprehendas, neque vllum proferre exemplum poſſis, quo quisquam catechumenus ſqualido quodam ſacco, quo opertus in conſpectum eccleſiæ ſeſe dederit. Deinde non ea de re vllum verbum factum legas, quempiam catechumenum pœnitentiæ publicæ gradum ingreſſum, aut inter flentes lamentantesque, aut audientes, ſubſtratos aut ſine oblatione communicantes, qui ſunt quatuor pœnitentiæ publicæ gradus.* Interim alia quadam ratione coercebantur,

aliter tamen coerciti.

veluti quod *figentes genua* audire verbum tenerentur, & ſi in peccato perdurarent, prorſus abiicerentur, vt cautum in *Concilio Neocæſarienſi* anno 314. celebrato *can. 5.* apud HARDVIN. *tom. I. concil. p. 284.* In *Concilio Nicæno can. 14.* catechumenis *lapſis* iniunctum, vt tribus annis ſint inter *audientes* tantummodo, poſthæc autem cum catechumenis orent. Similem differentiam quoque obſeruauit THEODOSIVS M. anno 383. in *l. 2. Cod. Theod. de apoſtat.* vbi non æquali pœna ple-

plectendos cenſuit *fideles*, & *catechumenos* apoſtatas. Ait: *Chriſtianis ac fidelibus, qui ad paganos ritus cultusque migrarunt, omnem in quamcumque perſonam teſtamenti condendi interdicimus poteſtatem, vt ſint abſque iure Romano. His vero, qui Chriſtiani & catechumeni tantum, venerabili religione neglecta, ad aras & templa tranſierint, ſi filios vel fratres germanos habebunt, h. e. ſuam aut legitimam ſucceſſionem teſtandi arbitratu proprio in quaslibet alias perſonas ius adimatur.* Hoc diſcrimen tamen poſtea ſuſtulit ARCADIVS anno 396. in *l. 6. Cod. Theod. de apoſtat.* Superſunt etiam rudera quædam *pœnitentiæ eccleſiaſticæ* in noſtris eccleſiis, quæ itidem ad infideles, in catechumenatu exiſtentes, ſi forſan ſe ſtupro, alioue delicto grauiori, maculauerint, applicari nequeunt, quæ iis demum imponuntur, qui ad euchariſtiam admitti deſiderant, cuius communionem adhuc catechumeni non habent. Quin quod ſi vel maxime quædam apoſtaſiæ pœna ſuperſit, illa tamen nec hodie ad catechumenos extendi poterit, ſi, relicto conuerſionis propoſito, ad idem reuertantur lutum, quod derelinquere deſtinauerant, vt nec Catholici diffitentur, teſte RICCIVLLO *lib. III. cit. tr. c. 4. n. 28.*

§. XXVI. Ex his, ni fallor, liquet, ſtatum horum catechumenorum, qui *infidelium* ſacra eiurare intendunt, re vera eſſe *intermedium* inter *infideles* & *fideles*, adeoque quæuis iura ſacra *fidelium* iis applicari non poſſe. Quamuis enim nomine Chriſtianorum veniant tum in *cit. l. 2. Cod. Theod. de apoſtat.* tum in *c. 15. C. 28. qu. 2.* plures tamen effectus ex baptiſmo dependent, qui illis applicari nequeunt. Sic catechumenus cum *fideli* matrimonium inire non poteſt, prout cenſuit AMBROSIVS in *cit. can. 15.* aiens: *Si Chriſtiana ſit, non eſt ſatis, niſi ambo initiati ſitis ſacramento baptiſmatis.* Et vix eſt, vt hodie nos tale matrimonium ante baptiſmum admiſſuri ſimus. Eadem ratione nec ad munus *patrinorum* admitti poſſunt, nec ad officia eccleſiaſtica, adeo vt ſi quis per *errorem* ordinatus fuerit, poſt baptiſmum reordinari debeat, quod baptiſmus ſit funda-

Veniunt tamen nomine chriſtianorum.

Non tamen catechumenus cum fideli matrimonium celebrat

nec ordinari poteſt

mentum omnium ſacramentorum, ante cuius ſuſceptionem non ſuſcipiatur aliud ſacramentum, quoniam *vbi fundamentum non eſt, ſuperædificari non poteſt*, vt dicitur in *c. 3. de presbyt. non baptizato*. Cum vero inter Proteſtantes ordinatio a claſſe *ſacramentorum* excludatur, non præciſe reordinatio foret neceſſaria, ſi talis error contingeret, præſertim cum a *charactere indelebili*, quem ordinatio imprimere dicitur, ſimus alieniſſimi. De cetero, quia iam quodammodo Chriſtianorum numero accenſentur, eos etiam in ſtatu catechumenatus conſiſtoriis eccleſiaſticis ſubiici crediderim, in cauſis quæ huc ſpectant, vnde ne quidem catechumenus pro lubitu infidelem coniugem derelinquere, & diuortium cum ea facere poterit, infidelibus alias permiſſum, quod *Concilio Eliberino can. 10.* iam conſtitutum fuit, vt *ad cit. can.* ALBASPINAEVS oſtendit. Breuiter: ex ratione ipſarum legum eccleſiaſticarum facile colligi poterit, quænam iis applicari poſſint, nec ne?

ſubiiciuntur tamen eccleſiaſticis iudiciis.

§. XXVII. Ceterum antequam infideles ad ſacrum baptiſma admittuntur, ſedulo ante omnia præparandi ſunt, non tantum quoad *rudimenta fidei*, ſed inprimis quoad *vitam* & *mores*. In *Concilio Eliberino can. 42.* apud HARDVIN. *tom. I. concil. p. 254.* cautum, vt *ſi bonæ fuerint conuerſationis, intra biennium ad baptiſmi gratiam admittantur*. In *Concilio Agatenſi can. 34.* apud HARDVINVM *tom. II. concil. p. 1002.* octo menſes iudæis præfiniti ſunt, & *ſi pura fide venire noſcuntur, tum demum baptiſmatis gratiam mereantur*, cum hac tamen limitatione, *vt in caſu infirmitatis grauioris ante hoc tempus baptizari poſſint*. Ad hæc tempora non præciſe adſtringuntur eccleſiæ noſtræ, ſed arbitrio eorum, qui curam animæ illorum gerunt, relictum videtur, quando ad baptismum admittendi ſint, prout recte obſeruat GEORG. THEODOR. DIETERICVS *de iure & ſtatu iudæorum in rep. Chriſtianor. c. 9. p. 140.* Sic etiam nec hodie vſitati ſunt illi ritus, qui in veteri eccleſia pro diuerſo gradu catechumenorum adhibebantur, qui vix a *ſuperſtitione* excuſari poterunt, nec vllam genuinam rationem habent; quos plenius explicat

Conuertendi ad baptismum præparandi

tempus hodie arbitrarium.

plicat SAM. BASNAGE. *cit. diſſ. de catechumenis*; ſed morum ſimplicitas, & vitæ purioris ſanctimonia magis nobis commendata eſt. Ceterum quæ alias circa baptiſmum adhiberi ſolent ſolennia, hic repetere non vacat, cum fere eadem eſſe ſoleant, quæ in paruulorum immerſione adhibentur, niſi quod ſolenne examen ante baptiſmum ſubire, & ipſimet confeſſionem fidei edere teneantur, qua de cauſa *patrinorum præſentia* eo minus eſſet neceſſaria, qui potiſſimum propter *paruulos* adhibentur, qui confeſſionem fidei facere nequeunt.

§. XXVIII. Per *baptiſmum* demum iura *fidelium* conſequuntur conuerſi, & ſocietati ſeu *communioni* eccleſiaſticæ inſeruntur, iusque *fraternitatis*, tam ſancte olim excultum, adipiſcuntur. Inde olim mox, baptiſmo peracto, *oſculo pacis* excipiebantur, ad locum, vbi fratres erant congregati, deducti, cum quibus S. cœnæ participes fiebant, omnimodæ communionis argumento, vt IVSTIN. *in apol. in f.* refert. Addit TERTVLLIANVS *de baptiſmo in f.* quod, *poſt quum de ſanctiſſimo lauacro aſcenderint, primas manus apud matrem* (eccleſiam) *cum fratribus aperuerint*, h. e. expanſis manibus cum fratribus orauerint, cum ante baptiſmum ad *communionem precum* haud eſſent admiſſi, prout ante dictum. Simul tamen hæc vita noua alios mores poſtulabat, quod ante baptismum *ſolenni ſtipulatione* confirmandum erat, quia alioquin ad priſtinos mores reuertentes *eiectionis* periculo ſubiacebant. Hæc erat *confœderatæ diſciplinæ* ratio apud Chriſtianos, cui ſe ſubiicere debebant, qui in ius fraternitatis recipiebantur. Inde fiebat, vt catechumeni baptismum ſæpius ad extremum vitæ halitum differrent, quo a metu amittendi communionem, & a duriſſima diſciplina *pœnitentiæ publicæ* eſſent liberati. Quin difficilius peccatorum remiſſionem poſt baptismum obtineri poſſe credebant, vt docet ex Patrum doctrina MORINVS *de pœnit. lib. III. c. 7. §. 4.* additque: *Ideo cum antiqui Chriſtiani hanc doctrinam ſibi perſuaſam haberent, eorum plurimi baptismum in fine vitæ differebant, ne poſt baptiſmum peccantes luctuoſis*

Poſt baptiſmum ius perfectæ communionis conſequuntur.

ſæpe tamen olim baptismum diutius differebant.

ſtuoſis pœnitentiæ laboribus criminum remiſſionem redimere cogerentur, quod etiam *cap. 9. §. 4.* repetit.

Poſt baptiſmum conuerſi dicuntur tranſire in poteſtatem eccleſiæ & priſtinos ritus deponere debent

§. XXIX. Primarius vero, inter ceteros conuerſionis effectus, eſſe dicitur, quod conuerſus in *poteſtatem eccleſiæ* h. e. *cleri* tranſeat, & ſic huius legibus & ritibus ab ea inductis viuere debeat. Neque enim eadem indulgentia erga *conuerſos* vtuntur, qua primitiui Chriſtiani erga *fideles ex iudæis*; his plura ex ritibus iudaicis permittebantur, vt eo magis ſeſe ad horum mores conformarent. Sequioribus temporibus praxis diuerſa recepta. In *Concil. Lateran. IV. anno 1215. celebrato c. 70.* apud HARDVIN. *tom. VII. p. 71.* occurrit decretum contra iudæos conuerſos factum, *qui prioris ritus reliquias retinentes Chriſtianæ religionis decorem tali commixtione confundunt.* Hoc ipſum prohibitum, ſub lepida tamen ratione: *cum autem ſcriptum ſit, maledictus homo, qui terram duabus viis ingreditur, & indui veſtis non debeat lino lanaque contexta, ſtatuimus, vt tales per prælatos eccleſiarum ab obſeruantia veteris ritus omni modo compeſcantur, vt quos Chriſtianæ religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, ſalutiferæ coactionis neceſſitas in eius obſeruatione conſeruet; cum minus malum exiſtat viam domini non agnoſcere, quam poſt agnitam retroire.* Ieſuitæ tam ſtricto iure cum conuerſis ſuis non agunt, qui, quod ex gentiliſſimo CONFVCII doctrinam ſapit, iis permittunt, id quod curiæ Romanæ multum negotii dedit. Equidem non iniquum eſt, vt qui inter nos viuunt iudæi conuerſi, noſtræ *liturgiæ* ſeſe accommodent, cum diuerſo iure vti non debeat, qui in ſocietatem quandam eſt receptus; at in eccleſiis inter gentiles prius plantandis ſæpe res *conſilii* eſt, vt mores quidam, qui non æque a gente deponi poſſunt, haud tamen improbi ſunt, tolerentur magis, quam intempeſtiuo quodam zelo reprobentur & damnentur, quo fortiores infirmioribus ſe accommodent. Obſeruaui ex *relat. miſſion. Danicor. p. 416.*, Damulicos ob *morum contrarietatem* a noſtra doctrina abhorrere, qui tamen quandoque indifferentes ſunt, & ſine ſcandalo, meo quidem iudicio, iis relinqui poſſent, cum tractu temporis

quod tamen ex regulis prudentiæ temperandum.

poris etiam eorum indifferentem rationem ipſimet conuerſi agnituri ſint, cognitum habentes, in ſola fide in Chriſtum ſalutem quærendam eſſe, cetera eſſe infirma quædam elementa, vmbras, & mera hominum inuenta. In *Concilio Toletano IX.* anno 655. celebrato *c. 17.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 976.* aliquid adhuc ex veteri ritu iudæis baptizatis relictum videtur, quo cautum, vt *baptizati iudæi feſtis præcipuis noui teſtamenti ſerie conſecratis, ac diebus illis, qui olim ſanctione veteris legis ſibimet cenſebantur eſſe ſolennes, in ciuitatibus publicisque conuentibus cum ſummis Dei ſacerdotibus celebrent.*

§. XXX. Ne vero ad errores eiuratos reuerterentur, omne commercium conuerſis cum infidelibus ſub grauiori pœna eſt interdictum, ceu conſtat ex *c. 62. Concil. Tolet. IV.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 591.* & GRATIANVM in *c. 12. C. 28. q. 1.* Qua de cauſa de *matrimonio* conuerſi cum infideli non leuia dubia ſuborta ſunt, vtrum illud poſt conuerſionem dirimendum, an vero in ſuo ſtatu relinquendum? Concilium Toletan. IV. *c. 63.* qui in *c. 10. C. 28. q. 1.* refertur, magis inclinauit in *ſeparationem*, ex principio in *can. 62.* poſito. Edicunt Patres: *Iudæi, qui Chriſtianas mulieres habent in coniugio, admoneantur ab Epiſcopo ciuitatis ipſius, vt ſi cum eis permanere cupiunt, Chriſtiani efficiantur. Quod ſi admoniti noluerint, ſeparentur; quia non poteſt infidelis in eius permanere coniugio, quæ iam in Chriſtianam tranſlata eſt fidem.* Hæc ſanctio oppido contraria eſt conſilio illi, quod ſupra recenſui de conuerſione per coniugia fidelium cum infidelibus contrahenda, imo recedit a PAVLI doctrina *1. Cor. VII. 10. ſeqq.* vbi docet, non eſſe recedendum a coniuge infideli, cohabitationem non recuſante. Hanc doctrinam Apoſtolicam etiam ſecuti AVGVSTINVS in *c. 8. & 9. C. 28. q. 1.* AMBROSIVS in *c. 7. eod.* Papa EVTICHIANVS in *c. 3. eod.* & INNOCENTIVS III. in *c. 7. & 8. X. de diuort.* Non ergo licite ſeparationem quærit coniux fidelis, niſi deſeratur ab infideli, quæ doctrina potius retinenda, quam Patrum Toletanorum, qui plura ex ingenio ſuo acerbiori duriſſima in infideles conſtituere, quod

Commercium iis cum infidelibus olim interdictum fuit

inde diuortium ab infideli coniuge olim conceſſum

quod improbatur

quid ſi vnus ex fidelibus ad gentilem religionem tranſierit.

quod legem vniuerſalem eccleſiaſticam haud facit. Admittit etiam hoc caſu Pontifex *totale* diuortium in cit. *c. 7.* Sed non æque illud indulgendum cenſet eo in caſu, quando contractum eſt matrimonium inter fideles, & poſtmodum alter ex iis ad *gentilitatis errorem* tranſierit; hoc caſu tantum ſeparationem quoad *thorum* & *menſam* indulget, vt fideli haud ſit integrum, infideli viuente, ad ſecunda conuolare vota. Rationem diuerſitatis inde petit, quod priori caſu matrimonium *verum* quidem contractum ſit, ſed non *ratum*, nec *indiſſolubile*; poſteriori autem, quod ab initio fideles contraxerint, & *verum* & *ratum* fuerit, & hac de cauſa *ob ſacramentum fidei* indiſſolubile. Congruit hæc concluſio cum principiis doctrinæ eccleſiæ Romanæ, minime noſtris. Inde non dubium, quin, tali caſu inter nos emergente, totale diuortium ob *deſertionem* apoſtatæ indulgeri debeat. BRVCKNER. in *deciſ. matrim. c. 18. n. 8.*

Quid de liberis cenſendum, vno ex coniugis conuerſo.

§. XXXI. Sicuti vero conuerſus iam eſt ſub poteſtate eccleſiæ, ita maius ius quoque habet quoad *liberos* ex tali matrimonio cum infideli ſuſceptos. In *Concilio Toletano IV. can. cit. 62.* id cautum eſt: *filii, qui ex talibus nati exiſtunt, fidem atque conditionem matris* (conuerſæ) *ſequantur; Similiter & hi, qui procreati ſunt ex infidelibus mulieribus & fidelibus viris, Chriſtianam ſequantur religionem, non iudaicam ſuperſtitionem.* Non obſcure quoque eandem deciſionem ſequitur GREGORIVS IX. in *c. 2. X. de conuerſ. infidel.* in caſu, vbi *maritus* erat ad fidem Chriſtianam conuerſus, poſtulaueratque, vt ab vxore infideli, a qua ſeparatus erat, filius quadriennis exhiberetur. Patri eundem aſſignandum eſſe cenſuit Pontifex, tum ex *ratione ciuili*, quod patriam poteſtatem in eum habeat; tum ex *ratione canonica* quod *fauor fidei Chriſtianæ* pro conuerſo militet, idem ſine dubio in caſu conuerſo reſponſurus, ſi mulier ad fidem Chriſtianam tranſiisſet. Quia vero ſupra monui, inuito patre liberos non eſſe ad baptiſmum rapiendos, dubium occurrit, an inter Proteſtantes huic deciſioni ſtandum ſit? Equidem ſi pater infidelis coniugem fidelem poſt conuerſionem haud deſeruit;

uit; ſi eidem adhuc cohabitat, patri directio & poteſtas in liberos ſalua manere debet; ſi vero eam vel domo eiecit, vel malitioſe deſeruit, vel alias ei cohabitare renuit, prout plerumque contingit, apud *matrem* nutriendi & educandi ſunt, *expenſas patre præbente*, vt dicitur in *Nou. 117. c. 7.* quæ etiam ad hunc caſum non inepte applicatur.

§. XXXII. Quoniam autem hoc modo contingere poteſt, vt quæ ante *conuerſionem* permiſſa fuere infidelibus, poſt eam in delictum tranſire videantur, Chriſtianis quippe verita; inde paucis videndum, quousque ad eorum *omiſſionem* conuerſi teneantur? Et quidem quæ ſine vlla difficultate omitti poſſunt, veluti ne die ſolis laborent, quæ itidem ex legibus eccleſiaſticis facienda ſunt, ad ea omittenda vel facienda obligantur. Aſt quia nonnulla non ſine ſumma *difficultate* omitti, vel quæ iam legitime contracta ſunt, non ſine iniuſtitia diſſolui poſſunt, maior inde difficultas ſubnaſcitur. Ea ipſa potiſſimum in matrimonio, olim ſecundum ritus infidelium contracto, conſpicitur, quod tamen ſæpe contra doctrinæ noſtræ rationes eſt. Quid ergo ſi alter vel vterque coniugum ad fidem conuertantur, an matrimonii vinculum, legibus noſtræ religionis contrarium, diſſoluitur? Tres hic potiſſimum caſus adducit Pontifex in *c. 8. & 9. cit. X. de diuortiis.* Primus eſt, ſi in gradu prohibito matrimonium contractum, veluti *cum fratrum viduis*, quem caſum Pontifex in c. 9. cit. adducit. Iam olim GREGORIVS M. *l. XII. epiſt. 31.* conſultus reſpondit: *vt in gradu prohibito coniuncti non ſeparentur, aut communione eccleſiæ ideo priuentur.* Eandem ſententiam ſequitur INNOCENTIVS III. *cit. l.* addens rationem, *quod per ſacramentum baptiſmi non diſſoluantur coniugia, ſed crimina dimittantur.* Addi poteſt hæc ratio, cum obligatio legis ad hunc caſum plane extraordinarium applicari nequeat, durumque foret, bene concordata matrimonia, conuerſione ſecuta, dirimere. Alter caſus eſt de *Polygamia* deſumtus. Equidem inter nos in gente iudaica hic exiſtere nequit: poteſt tamen inter orientales con-

Quæ ſint conuerſis omittenda?

non diſſoluitur tamen matrimonium in gradu prohibito antea contractum.

An polygamia diſſoluenda?

contingere, inter quos etiam principes Europæi ſuos habent ſubditos. Quid ergo ſi maritus polygamus inter Malabaros, qui plures vxores ducere poſſunt, conuertatur, an omnes retinere poteſt, an vero vni tantum adhærere, ceteras vero & quasnam dimittere tenentur? Reſpondet Pontifex in *c. 8. cit.* polygamiam eſſe contrariam *Chriſtianæ fidei*, adeoque cum *conuerſione* ſtare haud poſſe. Idem quoque defendit B. STRYK *in not. ad ius eccleſ. Brunnem. lib. II. c. 17. §. 30.* quod conuerſus peccatum hoc emendare & ſecundum ius diuinum viuere debeat, qua de cauſa prior ducta retinenda, poſterior dimittenda, cum illa prærogatiua iuris gaudeat. Tertius caſus eſt, ſi infidelis ante conuerſionem ſecundum leges, quibus tunc viuebat, vxorem dimiſit, quam dimittere non potuiſſet ſecundum doctrinam Chriſti, vtrum conuerſus eam recipere teneatur? Pontifex diſtinguit, vtrum vterque coniugum, an autem alteruter conuertatur? Priori caſu, re adhuc integra, v. c. antequam maritus aliam duxerit vxorem, dimiſſam recipere cogitur, quam ſe iniuſte dimiſiſſe nouit; non vero ſi iam aliam duxerit, vel illa ab alio ducta eſt. Poſteriori putat Pontifex, viuente ea, maritum conuerſum non poſſe aliam ducere, niſi illa renuat ei cohabitare, aut ad eum reuerti, quia tunc ob *deſertionem* vinculo coniugali ſolutus eſt, id quod vt plurimum contingit.

An conuerſus vxorem antea dimiſſam recipere teneatur.

§. XXXIII. Denique ex poteſtate eccleſiæ, in quam per baptiſmum tranſiiſſe dicuntur, illud quoque deducunt, quod cogi in poſterum poſſint, ut fidem Chriſtianam retineant. Ita cenſuere Patres in *Concilio Toletano IV. c. 59.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 590.* & GRATIANVM *c. 94. de conſecrat. D. 4.* aientes: *Pleriſque ex iudæis, qui dudum ad chriſtianam fidem promoti nunc blaſphemantes in Chriſtum, non ſolum iudaicos ritus perpetraſſe noſcuntur, ſed etiam abominandas circumciſiones exexcere præſumſerunt. De quibus conſultu piiſſimi ac religioſiſſimi domini noſtri Siſemundi regis hoc ſanctum decreuit concilium, vt huiusmodi transgreſſores pontificali autoritate correcti ad cultum Chriſtiani*

Cogi poſſe cenſent conuerſos vt fidem Chriſtianam retineant

ſtiani dogmatis reuocentur: vt quos propria voluntas non emendat, animaduerſio ſacerdotalis coerceat. Eos autem, quos circumciderunt, ſi filii eorum ſunt, a parentum conſortio ſeparentur: ſi ſerui, pro iniuria corporis ſui, libertati tradantur. Ratio huius deciſionis in promtu eſt, quia, qui ſemel ſub *iurisdictionem eccleſiaſticam* venere, in eos eccleſiæ ſeu clero idem ius *cogendi* competit, vt in hæreticos ceterosque apoſtatas. In primitiua eccleſia *lapſi*, qui a fide Chriſtiana deſciuerant, non minis aut coactione reducebantur, ſed ſeria adhortatione: hac admiſſa, pœnitentiæ publicæ ſubiiciebantur, & ægre recipiebantur, niſi demum ſeriæ pœnitentiæ documenta edidiſſent, quod vel CYPRIANI ſcripta demonſtrant. Imperio ſacro in eccleſia formato & ſtabilito, omnia ad ſchemata politica compoſita, & per vim coactiuam in rebus *fidei* & *conuerſionis* agi cœptum eſt. Hinc grauiſſimæ pœnæ in *apoſtaſiam* conſtitutæ in vtroque Codice *tit. de apoſtatis*, quæ etiam his applicatæ, qui ad priſtinos reuertuntur errores, per *Nouell. Leon. 55. in f.* quia hi æque apoſtaſiam committunt. Defendit easdem pœnas GEORGIVS HENRICVS LEHMANN *diſſ. de iure apoſtat.* Helmſtadii habita, quæ materia tamen admodum diffuſa eſt, vt hic examinari nequeat, commodiori reſeruanda occaſioni.

De iuribus eorum ſpecialibus.

§. XXXIV. Vidimus *obligationem conuerſorum* quo ad ſacra: paucis de *iuribus* eorum ſpecialia quædam tangenda ſunt. Qui ſunt membra eccleſiæ, ab eius præfectura quoque excludi nequeunt. Verum non facile Neophyti ad *Epiſcopatum* eligendi. Suaſit id olim PAVLVS *1. Tim. III.* nec ſine ratione, quoniam non ſatis ſemper in fide firmati erant. Idem in Conciliis paſſim inculcatum, & a Patribus approbatum, cuius veſtigia collegit GRATIANVS in *c. 1. & 2. D. 48. c. 9. D. 61.* Conf. *Concil. Laodic. c. 3.* apud HARDVIN. *tom. I. concil. p. 782.* CLAVDIVS ESPENCEVS *lib. II. digreſſ. c. 12. p. 204.* RICCIVLLVS *de Neophyt. c. II. ſeqq.* THOMASSIN. *P. II. de vet. & nou. eccl. diſcipl. lib. I. c. 62. §. 18. ſeqq. c. 85. 86. 87.* vbi copioſiſſime antiquorum placita de *Neophytis* refert,

refert, illuſtratque egregie. Sicuti vero huiusmodi diſpoſitiones ſine dubio intelligendæ ſunt de recenter conuerſis, ita conuerſi non abſolute repelluntur a beneficiis eccleſiaſticis, ſed etiam ad canonicatus admittuntur iuxta *c. 7. X. de reſcript.* vbi Pontifex Tornacenſi Epiſcopo ita reſpondet: *Pro eo, quod iudæus extiterit, ipſum dedignari non debes.* Multo minus repellendi ſunt, qui a iudæis originem trahunt, quamuis alias ab hæreticis deſcendentes irregulares habeantur, cum hos maiori fere odio proſequantur, quam infideles. Conf. GONZALEZ. *ad cit. c. 7. n. 9.*

SECTIO II.

De iure profano circa infideles.

CAPVT I.

De iure profano circa infideles non conuerſos.

§. I.

Infideles communiter in ſtatum ſeruilem coniiciuntur

IVra *profana* potiſſimum variant pro *diuerſo* hominum *ſtatu*, qua de cauſa ante omnia de *ſtatu* eorum *ciuili* videndum eſt. Sunt qui ſpeciatim iudæos inter nos viuentes in *ſtatum ſeruilem* coniiciunt, idem forſan etiam de *Saracenis*, aliisque *infidelibus* exiſtimaturi, ſi tam frequentes in noſtris habitarent terris. Ortum traxit hæc ſententia ex *duriſſima* illa *perſecutione*, qua iudæi oppreſſi, & fere attriti ſunt, vt olim domini vix atrocius in ſeruos ſuos ſæuire potuerint, quam Chriſtiani in iudæos. More pecudum nonnunquam venditi, diſperſi, mactati: bona eorum vi occupata, vel direpta, vt ſeruorum peculia, prout ſæuitia cleri vel alius furor principes populumue induxit, cuius fundamenta in *prolegomenis* ſunt adducta, ſpecialius vero exemplis declarata a ſæpe lauda-

ex durisſima perſecutione

laudato BASNAGIO *dans l'hiſtoire des Juifs tom. VIII. & IX.* Admodum ſane probabile eſt, cleri inſidiis hanc natam eſſe opinionem, iudæos mera mancipia viliſſima eſſe, & velut captiuos, vt olim in Babylonica ſeruitute, habendos. Sic Pontifex in *c. 21. in f. X. de iudæis* ait, quod *iudæos Chriſtianis ſubiacere oporteat, & ab eis pro ſola humanitate foueri.* Clarius INNOCENTIVS III. *in c. 13. X. de iud.* loquitur, cenſetque, *iudæos propriam culpam perpetuæ ſeruituti ſubmiſiſſe.* Hac de cauſa diſtricte inhibet, *ne nutrices & ſeruientes habeant Chriſtianos,* idque ex ratione plane ſingulari, *ne,* pergit, *filii liberæ filiis famulentur ancillæ, ſed tanquam ſerui a domino reprobati, in cuius mortem nequiter coniurarunt, ſe ſaltem per effectum operis recognoſcant ſeruos illorum, quos Chriſti mors liberos, & illos ſeruos effecit.* Hæc eſt illa egregia philoſophia, qua hi, qui in ſenſu myſtico *filii ancillæ,* & in *ſeruitute ſpirituali* degere dicuntur, in *ſeruitutem ciuilem* ex opinione plurium tracti ſunt. & iuris Canonici ſententia

§. II. Alii mitiorem ſententiam fouent, eosque non in *priuata,* ſed *publica ſeruitute* principum, magiſtratuumue eſſe ſtatuunt, quæ diſtinctio nec apud Romanos incognita fuit, teſte PLAVTO *in captiu. Act. II. ſc. 2.* Hæc eſt ſententia IOH. HERMAN. STAMMII *de ſeruit. perſonal. lib. I. c. 1. tit. 5. §. 8.* HERMANNI LATHERI *de ſenſu lib. III. c. 23. n. 47. & ſeqq.* & CANGII in *Gloſſar. voce iudæus,* vbi variis documentis antiquis oſtendit, eos & bona illorum olim Baronum fuiſſe, ſub quibus habitabant, quam duriſſimam conditionem ſubire coacti ſunt, ne alias expellerentur. Vnde quando principum fiſcus exhauſtus erat, ex iudæorum penu hic defectus ſupplebatur, quin quod quodammodo in commercio eſſe viderentur, vt in alios transferri potuerint, quæ omnia variis argumentis illuſtrat CANGIVS *cit. l.* Nec diuerſa iudæorum fortuna in Germania fuit, quæ itidem illis *ſeruitutem quandam publicam* addixit. Teſtis eſt *charta* FRIDERICI II. *de anno 1237.* apud PETER LAMBETIVM *lib. II. de biblioth. Vindob. c. 5. p. 80.* quæ docet, quod *imperialis autoritas a priſcis temporibus,* quidam ſeruituti publicæ eos addicunt

ad perpetuam iudaici ſceleris vltionem, eisdem iudæis perpetuam ſeruitutem indixerit. In *priuilegio* CONRADI *de anno 1234.* apud LEIBNITIVM *in prodr. Codicis diplom. n. 12.* aſſeritur: *omnes & ſinguli iudæi degentes vbique per terras noſtræ iurisdictioni ſubiectas Chriſtianæ legis & imperii prærogatiua (qua dominamur & viuimus) ſerui ſunt noſtræ Cameræ ſpeciales.* Prærogatiua hic quæritur in *imperio Chriſtianorum*, & *religione* ſiue *regimine eccleſiaſtico* & ſeculari prædominante, quod infinita odii magni documenta erga iudæos paſſim edidit. Expreſſiora adhuc ſunt CAROLI IV. verba in *priuileg. de anno 1347.* apud LIMNEVM *tom. I. addit. ad lib. 7. c. 5.* alle Juden gehören mit Leib und mit Guth unſerer Cammer, und ſeyn in unſer Gewalt und Hände, daß wir mit unſer Mächtigkeit damit thun und laſſen mögen, was wir wollen. Ita ſenſuere maiores noſtri, id ob oculos habentes, quid hactenus factum fuerit, non quid iure fieri debuerit. Verum (I) obſeruandum eſt, eos quandoque durius habitos fuiſſe, quam ceteros ſubditos ob legem receptionis, quam principes illis præſcribere ſolebant, quæ *quandam ſeruitutis ſpeciem* iis imponebat. Hæc vero ratio particularis erat, nec ſtatum iudæorum *in vniuerſum* mutabat. (II) *Seruitus* hæc *publica*, in qua fuiſſe dicuntur, longe diuerſa fuit a *ſeruitute priuata* ſingulorum, quippe quæ nec vſum iuris communis iis ademit, nec effecit, vt ſeruorum iura, apud Romanos vel Germanos vſitata, iis applicari potuerint, quod nec ipſe STAMMIVS *cit. l.* negat. Quin potius *ſeruitus* illa *publica* ſubiectionem quandam duriorem inuoluiſſe videtur, vt recte cenſet REINKING. *c. l. lib. II. claſſ. 2. c. 3. n. 28.* Hac de cauſa *liberorum* iure reſpectu ceterorum ſubditorum eos frui, & iuris communis participes, & de populo cenſeri, ſtatutorumque populi commodis frui, IDEM *cit. l.* addit, conſentiente B. STRYKIO *in vſu modern. ad tit. de ſtatu homin. §. 10.* Hoc maxime hodie dicendum, quia in tam duriſſimas conditiones conſentire amplius haud coguntur, ſed pro receptione & tutela publica ſingulis annis

Epicriſis

nis impoſitum cenſum præſtant, & de cetero *iure communi* viuunt. Denique (III) nec Pontificum decreta iis *ſtatum vere ſeruilem* impoſuerunt, ſed eos tantum deterioris conditionis eſſe debere Chriſtianis contenderunt.

§. III. Conſtat vero, quod ſubditi in rebus publicis ſint vel *integræ exiſtimationis*, vel *læſæ*, & quia a *fama* ſeu *exiſtimatione* plures iuris effectus dependent, inde etiam hæc diſtinctio haud parum perſonarum ſtatum afficit. Inde rurſus ſtatus *infidelium* & inprimis *iudæorum* in diſcrimen vocatus fuit, pleriſque aſſerentibus, eos *infamia iuris* laborare. Si delictum deſideras, quod infamiam iuris producit, aiunt, ipſam *infidelitatem* eſſe grauiſſimum peccatum & delictum, quod plenius deducit NICOL. RODRIQVEZ FERMOSINVS, Epiſcopus Aſturienſis, *ad tit. X. de iudæis qu. 1. ad rubr. n. 1. ſeqq.* Aliud iis delictum infamans attribuit STAMMIVS *cit. l. n. 12.* quod ſcilicet ſint *vſurarii publici*, quod delictum de iure canonico ipſo iure infamat. Admodum rationes hæ lubricæ ſunt, quia poſterior eſt particularis, quæ etiam in Chriſtianos cadere poteſt; prior vero a ratione iuris aliena. Eſt quidem infidelitas *peccatum in Deum*, ſed non delictum ciuile infamans. Verum præter infamiam moribus noſtris ex iuris canonici principiis *leuis notæ macula* inualuit, qua quidam pro *viliſſimo hominum genere* habentur. Hæc non quidem ex *delicto* naſcitur, ſed ex *opinione inueterata cleri prædominantis*, qua olim mundus regebatur. Sic ſpurios, adeo viliſſimos eſſe ſtatuerunt, vt ad munia ſacra admitti non poſſent, quod etiam *lictoribus* & *carnificibus* applicuerunt, ideo quod eccleſia a ſanguinis effuſione maxime abhorreret. Hæ rationes quidem primum in eccleſia natæ, poſtea tamen facile ad ſtatum ciuilem etiam tractæ ſunt, vt inter abiectiſſimos fuerint relati. His, ni me omnia fallunt, *infideles* quoque accenſuere, omnium odiis expoſitos, & a communione fidelium, qui tantum honeſti & immaculati eſſe voluerunt, excluſos per tot Pontificum & conciliorum decreta, vt *cap. antec.* demonſtratum eſt. Hæc quippe ſingularis maculæ nota eſſe ſolet, quod honeſtiores a macula-

Quidam præterea eos infames eſſe voluere

alii maculæ notam iis attribuere

torum intimiore conuerſatione alieni ſint, eosque fugiant, indignosque cenſeant, cum quibus ſocietatem arctiorem contrahant. Vtut vero ipſa religionum diuerſitas talem diuerſitatem ſtatuum inducere haud deberet, communia tamen præiudicia hic præualent, ipſis etiam legibus ſtabilita & confirmata, vt effectus *infra* adducendi docent.

Regulariter eodem cum Chriſtianis vtuntur iure

§. IV. Quia ergo ſecundum §. *I.* ſtatus iudæorum ceterorumque infidelium ab iniuria ſeruili vindicatus eſt, conſequens eſt, vt iure quoque æquali in *cauſis ciuilibus* cum ceteris Chriſtianis frui, & ſecundum ius commune iudicari debeant, niſi ratio diſpar euidens oſtendi poſſit, quæ vel ex opione *maculæ*, vel inde deſumi ſolet, quod inter ſe iudæi ſecundum legem Moſaicam iudicari debeant; id quod commodius in ſpecialibus controuerſiis oſtendi poterit.

non ſunt ſecundum rigorem iudicandi.

Inde falſum eſt, quod iudæi, cum Chriſtiano litem habentes, ſint iudicandi ſecundum *rigorem*, non ſecundum *æquitatem*, vt cenſuit REINKING. *c. l. n. 31.* & ambigue explicat RICCIVLLVS *lib. II. de iur. perſ. extr. eccl. grem. exiſt. c. 20.* ac ſub diſtinctione tandem reſpondet *ad c. 2. X. de iud. qu. 1. n. 1. ſeqq. ibid.* Quod enim vni iuſtum eſt, alteri quoque iuſtum eſſe debet, nec diſparitas iurium ex odio hominum metienda eſt. Sic inſtrumenta actor reo edere tenetur ex ratione æquitatis peculiari, quæ pro defenſione rei eſt. Quid ergo ſi chriſtianus cum iudæo agat? Ait REINKINGIVS cum MENOCHIO, GAILIO, & ROLANDO, editionem iudæo ad inſtantiam Chriſtiani *indiſtincte* imponendam eſſe, & forſan etiam, ſi vera eſt horum ſententia, iudæo exigenti denegandam, quia hoc *rigor iuris* contra *æquitatem* ſuadet. Verum hanc diuerſitatem ignorant leges, ignorat praxis forenſis, imo & recta ratio ignorat, quam ſolummodo odium produxit, & inepta vulgi opinio promouit. Vnde nec iudæis editio deneganda eſt, quæ Chriſtianis conceditur; e contrario Chriſtianis contra iudæos deneganda, quando leges generatim litigantem ab hac obligatione abſoluunt. Ex hoc principio vlterius colligit REINKING. *cit. l. n. 32.* quod iuramentum ſuppletorium iudæo

dæo deferri non poſſit, quia ex *æquitate* deferri dicitur; nihilominus tamen *n. 33.* fateri cogitur in Camera contra hanc ſententiam pronunciatum eſſe, teſte MYNSINGERO *cent. V. obſ. 6.* conf. FERMOSINVS *cit. l. q. 3. n. 14.* Quid ergo an *reſtitutione in integrum* quoque infideles gaudent, quæ ex *mera æquitate* contra rigorem iuris admittitur? an moram purgare poſſunt, vbi ex æquitate legis hoc permiſſum? Vtrumque recte affirmat RICCIVLLVS *c. l. n. 15.* & *16.* quod tamen negandum foret, ſi aliquid roboris ſententiæ REINKINGII & ſequacium ineſſet. Inde dependet deciſio quæſtionis, an iudæo pauperi litiganti cum Chriſtiano expenſæ litis & alimenta debeantur iis in caſibus, quibus alteri litigantium ex *æquitate* illa adiudicantur. RICCIVLLVS *cit. l. c. 21.* fere in affirmatiuam inclinat, & quidem recte, quia, vt ait, *n. 9.* diſpoſitio iuris eſt ſeruanda æqualiter inter fideles & infideles, exceptis caſibus, in quibus reperitur ſpecialiter expreſſum contrarium. Sic quandoque actor pauper a reo expenſas litis recte petit, quod plenius illuſtrat Excell. Dn. LVDOVICI *diſſ. de expenſis actori a reo ſubminiſtrandis*, quæ nec iudæo actori in caſibus conuenientibus denegari debent.

§. V. Equidem qui communem ſententiam tuentur, præſidium in eo quærere poſſent, quod infideles ſint fidelium hoſtes, in quos ſummus rigor eſt exercendus, humanitate omni præcluſa. Ita ſæpe cenſuere veteres Epiſcopi, populumque facile in ſuas partes traxere, vt quotidie bellum inteſtinum cum iudæis gentilibusque gereret, vimque hoſtilem in eos exerceret. Res ex iis, quæ in *prolegom.* fuſius ſunt dicta, ſatis manifeſta planaque, vt tot latis legibus vix hominum mentibus hæc eradicari potuerit opinio. Quid æquius fuit iudicio THEODOSII? quid iniquius ſententia AMBROSII in caſu ſynagogæ per vim ab Epiſcopo quodam, priuato auſu, deſtructæ *p. 17. ſq.* relato? Et tamen ſub fucato *rigoris pii* prætextu omne ius fasque hoc modo ſæpiſſime violatum eſt. Neminem eſſe lædendum, eſt principium iuris naturæ generale, non tantum in

Nec attendenda eſt ratio quod infideles ſint fidelium hoſtes.

in *ciuitate*, ſed etiam inter *gentes* obſeruandum, cum natura inter omnes homines, cuiuſcunque fidei ſint, cognationem conſtituerit, vt philoſophatur FLORENTINVS in *l. 3. D. de I. & I.* Proinde *qui iniuſte impetum in quempiam facit, aut ira aut aliqua perturbatione incitatus, is quaſi violenter manus videtur afferre ſocio*, vt ait CICERO *lib. 1. offic.* Idem Imperatores conſtituerunt intuitu *iudæorum & gentilium* in *l. 14. C. de iud. & l. 6. C. de pagan.* contra eos, qui *auctoritate religionis abuſi* violentas manus gentilibus inferebant. Id quoque inculcat religionis noſtræ intima ratio, & tamen iniquitas maiorum in nulla re magis, quam in hac eluceſcit. Nec ſemper *æqualitatem iuris* ipſi imperatores obſeruarunt. Qui bona diripuit, tenetur alias in quadruplum: *l. 1. D. vi bon. rapt.* qui vero infidelibus bona rapuiſſe conuictus eſt, tantum *in duplum*, quæ rapuerit, reſtituere compellitur, *l. 6. C. de pagan.* quaſi minus delinquat, qui pagano aliquid rapit, quam qui Chriſtiano.

Ergo nec infideles lædendi.

non ſemper tamen æqualitas a legibus obſeruata.

§. VI. Quid conſtituerint Pontifices de *poteſtate principum fidelium* in gentes infideles, iam ſupra *p. 28. ſeqq.* expoſui. Plura de hac materia conglomerat FERMOSINVS *ad c. 5. X. de iudæis qu. 1.* quæ ſummam redolent iniuſtitiam, ſtatumque Hobbeſianum inter infideles & Chriſtianos inducunt. Vocantur talia *bella eccleſiaſtica & domini*, quæ *bellatores domini* contra eccleſiæ ſeu cleri inimicos gerunt, vt loquar ex ſtylo GREGORII in *c. 48. C. 23. q. 4.* Imprimis vero, quod etiam ſupra iam *p. 31.* obſeruaui, imperatori hoc muneris dabant Pontifices, vt ille tanquam *aduocatus eccleſiæ* dux belli primarius contra infideles eſſet perpetuus, *General né de l' Egliſe vniuerſelle*, vt ait AVTOR *de ſupremat. princ. Germ. c. 32.* additque: *Hinc cum in infideles arma expediebantur, imperatorque ipſe cruce ſignatis aderat, omnes alii reges principesque ei faſces ſubmittebant. Nempe ad imperatorem ſpectat, claſſicum canere bellis ſacris, ducem ſe præbere Chriſtianis contra infideles, & alioquin Generalis boni curam gerere cum autoritate.* Notabile eſt diploma PII II. apud LEIBNITIVM *tom. I. Cod. diplom. n. 180.* quo FRI-

Inde etiam nata opinio de bellis domini

Cæſare duce belli contra infideles conſtituto

DERICVM

DERICVM Imperatorem ducem generalem exercitus Chriſtiani contra Turcas conſtituit, *non ſolum cui tantum munus* EX OFFICIO IMPERIALI *debitum cenſeatur, ſed cui omnes gentes parere & ſubeſſe non dedignentur - - - Etſi igitur Cæſarea dignitas*, pergit, *ex debito hoc tibi imponit, nihilo minus vt noſtram & ſanctæ ſedis auctoritatem tecum tanta in re deferas - - Te contra Turcharum impiam gentem, aliosque infideles legis noſtræ hoſtes, illisque adhærentes, & complices ducem ac capitaneum generalem tenore præſentium facimus ac declaramus &c.* Hæc fuit pietas antiquorum temporum, quæ omne ius gentium & naturæ infringit, tollit, & prætextu *religionis* immutat, atque ius in *infidelium* bona & perſonas imperantibus Chriſtianis tribuit. Audiamus philoſophiam HOSTIENSIS in *c. quod ſuper. X. de voto*, aientis: *mihi videtur, quod in aduentu Chriſti, omnis honor, omnis principatus, omne dominium, omnis iurisdictio ex iuſta cauſa & per illum, qui ſupremam manum habet, nec errare poteſt, homini infideli ſubtracta fuerit, & ad fideles translata.*

§. VII. Inde quoque (II) eſt, quod in cauſis *ciuilibus* ſiue cum Chriſtianis, ſiue inter ſe agant, regulariter ſecundum ius commune iudicari debeant. Equidem priori caſu id facilius plerique admittunt, teſtibus FERMOSINO *cit. qu. 3. n. 10.* & CYRIACO *controu. forenſ. 241. n. 12.* quamuis in caſibus ſpecialibus admodum diſſentiant. De poſteriori maiores occurrunt interpretum ambiguitates, adeoque diſtincte hic agendum, videndumque, tum quo iure iudæi *inter ſe* vtantur, in cauſis ciuilibus, tum etiam, quid obtineat, ſi iis res *cum Chriſtianis* ſit. In membro priori quæſtio primario huc redit: *vtrum iis in caſibus, in quibus leges iudæorum forenſes a noſtro iure communi recedunt, controuerſiæ inter eos motæ ſecundum ius antiquum forenſe, an vero commune, quod in Germania obtinet, vel particulare quorumcunque locorum decidi debeant?* Talis iurium diuerſitas deprehenditur in computatione ætatis, ſucceſſione ab inteſtato, aliisque iuris articulis. Equidem ſi iudæi *ſenioribus* & *maioribus* ſuis lites ſubmittunt, quod

An iudæi inter ſe in cauſis ciuilibus vtantur iure communi an moſaico?

iuxta *l. 15. C. de iudæis* iis olim permiſſum fuit, non dubium eſt, quin hi ſecundum ius forenſe Moſaicum & proprium iudicaturi ſint; REINKING. *de regim. ſecular. lib. II. claſſ. 2. c. 3. n. 9.* ſi vero ad fora noſtra lites eorum ciuiles deuoluuntur, maior in quibusdam cauſis ratio dubitandi eſt. Diſtinguunt CYRIACVS *controu. for. 241. n. 11.* FERMOSINVS *ad rubr. tit. X. de iud. qu. 3. n. 9. ſeqq.* SVRDVS *deciſ. 133. n. 3.* aliique inter *ordinatoria* iudicii & *deciſoria*, h. e. inter *formalia* proceſſus, & *materialia*, ſeu *merita cauſæ*. In iis ius commune eſſe obſeruandum cenſent, atque de hoc caſu omnes inter ſe conueniunt; de his vero diſſentiunt, adeo vt plurimi ius *proprium forenſe* inter eos obſeruandum eſſe doceant. Ita (I) ætatem maiorennem iudæorum non ex iure communi, ſed *forenſi iudæorum* eſſe æſtimandam cenſent FERMOSINVS & CYRIACVS *cit. l.* vt maſculi annorum quatuordecim, feminæ duodecim pro maiorennibus habeantur, ad effectum, vt reſtitui non poſſint. Non aliter enim ad *ius commune* recurrendum eſſe cenſet TRENTACINQ. *lib. I. reſol. III. de legib. n. 11.* quam deficiente lege Moſaica. Hinc (II) inferunt, teſtamentum iudæorum valere adhibitis duobus vel tribus teſtibus. TRENTACINQ. *cit. l. n. 12.* CYRIACVS *cit. l. n. 39.* FERMOSINVS *in rubr. tit. X. de iudæis qu. 3. n. 8.* ZAHN. in *polit. munic. lib. III. c. 32. n. 102.* (III) In ſucceſſione ab inteſtato maſculos feminis præferri iuxta *Num. XXVII. 8.* Conf. SELDENVS *de ſucceſſ. ad LL. Hebræor. in bona defuncti c. 1.* TRENTAC. *cit. l. n. 13.* HAHN. *in diatagm. iudæor. th. 17.* MARQVARDVS *de SVSANNIS tr. de iudæis & aliis infidel. P. II. c. 4. n. 8.* ANDREAS TIRAQVELLVS *de primogen. qu. 66. n. 22. & 23.* (IV) Valere teſtamentum iudæi, relinquentis filio legatum absque *inſtitutionis* titulo. TRENTACINQ. *cit. l. n. 15.* (V) Valere inter iudæos ſtatutum, iuri communi contrarium, vigore cuius filiæ excludantur a bonis maternis, ad eorum parentes deferendis. IDEM. *cit. l. n. 19.* (VI) In contractibus eorum quoque ius Moſaicum, non *ius commune*, aut *locale* eſſe attendendum. CYRIACVS *cit. l. n. 40.*

[Margin notes: Quidam diſtinguunt. — exemplum eſt in computatione ætatis — teſtamentis — ſucceſſione ab inteſtato — inſtitutione liberorum ſtatutis — contractibus.]

§. VIII.

§. VIII. Fundamenta huius ſententiæ hæc ſunt: 1) quod leges & conſuetudines iudæorum, quæ non ſunt ſpecialiter prohibitæ, vel non ſunt in contemtum fidei noſtræ directæ, iis ſint permiſſæ per *c. 3. D. 45. c. 7. & 9. X. de iudæis, l. 10. & 12. C. eod.* Imprimis vero in *c. 9. cit.* cautum, vt *nemo bonas, quas hactenus habuerunt, conſuetudines immutare præſumat*, quorſum potiſſimum iura illa peculiaria pertinere nemo forſan facile dubitabit. 2) Prouocant ad praxin antiquam imperii Romani, ſub quo etiam iudæi degebant, & tamen nihilominus *iure proprio* vtebantur, vt ex CHRISTI paſſione CYRIACVS *cit. l. n. 32.* probat, adducitque verba PILATI; *accipite eum, & crucifigite ſecundum legem veſtram.* 3) Addunt, ius iudæorum eſſe *ius ſpeciale*, quod *iuri communi* derogat, adeoque eius primario rationem habendam eſſe. 4) Denique inde etiam ratiunculam petunt, quod iudex debeat iudicare ſecundum conſuetudinem litigantium, non autem ſecundum ſuam, quibus argumentis tandem, more ſuo, CYRIACVS conſenſum plurium interpretum ſubiungit. Verum ſicut auctoritas Dd. hodie non amplius metum & horrorem iniicit, ſed vnice rationibus animus paſcitur; ita fundamenta adducta, robur quippe nullum habentia, facile diſſolui poſſunt. Prima ratio ipſum eſt κρινόμενον, cuius contrarium iam ſupra *p. 43.* ex *l. 8. C. de iudæis* obſeruatum eſt. Sunt iudæi legum ſuarum tenaciſſimi, reliquas ſpernunt, nihilque magis curæ cordique habere ſolent, quam vt ſe ex leges faciant intuitui legum localium. Id vero adeo rationibus aduerſatur ciuilibus, vt nullo iure defendi queat. Imo quia ſe facile a *legum obligatione* eximere ſueuerunt, hæc prima a plurimis præcautio commendata eſt, vt non aliter recipiantur, quam ſub hac lege, (quamuis etiam hæc per ſe, ex natura *ſubiectionis*, ſubintelligatur) vt actiones ſuas ciuiles ad iura loci communia componant. Adducti textus in primo fundamento contrario parum probant; id vnice docent, eos in ſolennibus, ritibus ſacris, aliisque quæ ad *cultum ſacrum*

Fundamenta eorum qui ius Moſaicum hic prævalere volunt

quæ reiiciuntur.

pertinent, haud eſſe inquietandos, quorſum etiam collineat *c.9. X. de iudæis*, in quo quidem Pontifex *bonas* eorum *conſuetudines* approbat, ſpeciatim autem eas non determinat, adeoque illæ potius intelligi debent, quæ religioni innexæ ſunt. Imo nec Pontificis auctoritati in illis, quæ ſunt *iuris publici*, & ad *regiminis* rationem ſpectant, ſtandum, poſtquam iam olim imperatores iudæos ad *ius commune* adſtrinxere. Altera ratio plane abſona eſt. Iudæi in terra ſancta olim viuentes quadam adhuc libertate gaudebant, propriam adhuc conſtituebant rempublicam, adeoque facile iis permitti poterat, vt proprio ſuo iure vterentur, licet Romani quoddam in eos imperium vſurparent. Diuerſa erat ratio iudæorum, inter gentiles, ipſosque Romanos degentium, qui legibus Romanis æque vt alii ſubditi viuebant, quæ eorum religioni haud officiebant. Euidenter id liquet ex *l. 15. §. 6. D. de excuſ. tutor.* vbi ICtus ita: *Iam autem & iudæi non iudæorum tutores erunt, ſicut & reliqua adminiſtrabunt: conſtitutiones enim in iis ſolis ſine moleſtia eos eſſe iubent, per quæ cultus inquinari videtur.* In *l. 3. in. f. D. de decur.* itidem diui SEVERVS & ANTONINVS eis neceſſitates imponendas eſſe conſtituerunt, *quæ ſuperſtitionem eorum non læderent.* Hæc vnica exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis. Conf. ANDREAS TIRAQVELL. *de iure primog. q. 66. n. 4.* Tertia ratio itidem friuola eſt. Supponit iudæis ius *proprium* relictum eſſe, de quo ſi conſtaret, ſuo modo *ius ſpeciale* dici poſſet. At vero id ipſum eſt, quod in dubium vocatur. Idem quoque regerendum ad rationem vltimam, quæ itidem ſupponit id, de quo quæritur, poſſetque facilius applicari, ſi iudæi inter nos viuentes ſeparatam conſtituerent *ciuitatem,* quod falſum eſt.

Habent ergo iura minorum.

§. IX. Quæ cum ita ſint, facile quoque ad exempla adducta reſponderi poteſt. Primum non ſatis liquidum eſt, nec conſtat, iudæos mox poſt pubertatem adeo *maiorennes* cenſeri, vt minorennium iura prorſus iis applicari nequeant. Imo de eo non amplius quæſtio mouenda, cum

cum vnice id tantum in diſceptationem veniat: annon hi, qui inter nos viuunt, in cauſis ciuilibus iura minorum habeant exemplo Chriſtianorum, vsque dum annum 25. exceſſerint? quod recte SVRDVS *deciſ. 133.* affirmat, & ex his, quæ hactenus dicta ſunt, facile liquet. CYRIACI, contrarium decidentis, auctoritas non eſt tanta, vt eius deciſioni, infirmis ſuffultæ rationibus, ſtari debeat, quamuis vel maxime adhuc plures copias in aciem produceret, quibus vel illæ, ex quibus TIRAQVELLVS aciem inſtruxit, opponi poſſent. Secundum & quartum exemplum ex vno eodemque errore fluunt. Supponunt, teſtamenta iudæis fuiſſe vſitata, in legibus forenſibus permiſſa, certisque ſolennibus peculiaribus inſtructa, quo tamen nihil falſius excogitari potuit. Vid. B. STRYK. *de caut. teſtam. c. 1. §. 6.* SELDENVS *de ſucceſſ. in bona def. ex lege Hebr. lib. I. c. 24.* vbi oſtendit, tantum patri viuenti diſtributionem quandam inter liberos permiſſam fuiſſe. Quin quod aliunde ſatis conſtet, teſtamentum ſemper eſſe condendum ſecundum ſolennia loci, quo conditur, a qua obligatione iudæi nullibi ſunt exemti. In tertio exemplo maior probabilitatis ſpecies occurrit, cum negari nequeat, in vna eademque republica, imo ciuitate, vniuerſitatibusque quibusdam ſpecialem ſuccedendi ordinem indulgeri poſſe. Sic in hac ciuitate ciuibus academicis incognita eſt ſucceſſio in Gerdam & Heergewettam; nobiles in Saxonia, Marchia, & Holſatia proprio iure in ſucceſſionibus gaudent. Verum hoc ideo, quia talis priuilegiata ſucceſſio iis indulta eſt vel *expreſſe*, vel *tacite*, longo vſu ſcilicet & inueterata conſuetudine accedente. Tale priuilegium ſi etiam iudæi pro ſe adducere, vel ad inueteratum vſum prouocare poſſunt, ſecundum ſucceſſionem ad ius Moſaicum adornatam merito pronunciatur, ſi controuerſia deſuper in *foro ciuili* naſcitur: hoc deficiente, ſubſiſtendum in regula, quam plures etiam ex veteranis in hac cauſa defendunt apud TIRAQVELLVM *cit. l. n. 21.* Speciatim vero plenius apud RICCIVLLVM *lib. II. cit. tr. c. 15. n. 13. ſeqq.* Quintum exemplum

Teſtamenta iure communi condunt

ſuccedunt ſecundum ius commune

imo & contrahant

plum admittimus, ſi tale peculiare ſtatutum legitime probari poteſt. Sextum vero prorſus reiicimus, cum iudæi ſint æque ſubditi, ac Chriſtiani, & hi in contractibus ineundis leges loci, non proprias, ſequi teneantur, niſi forſan in certa ſpecie contractuum *inueteratus vſus* peculiare quid inter eos conſtituerit. Sic *pacta dotalia* ex *antiquiſſima obſeruantia* a Rabbinis eorum conſcribi ſolent, quibus *fidem* tribuunt *plenam*, quam iudex admittere tenetur, cum etiam in probando multum *conſenſui litigantium* tribuendum ſit.

Multo magis iure communi fruuntur quod non recedit a lege Moſaica

§. X. Quæ cum ita ſint, euidens eſt, iudæis, ceterisque infidelibus eo minus eſſe deneganda illa iura communia, quæ ne quidem a iure forenſi recedunt, vel ei contrariantur. Sic liberos habent in poteſtate æque ac Chriſtiani, *c. fin. de conuerſ. fidel.* KNIPSCHILD. *de ciuit. Imper. lib. II. c. 30. n. 26.* & *27.* TIRAQVELL. *cit. qu. 66. n. 2.* Inde nec liberi iudæorum, quamdiu in poteſtate ſunt, condunt teſtamenta, ſuntque ſuis parentibus æque ſui hæredes ac Chriſtiani. TIRAQVELL. *cit. l.* Statutum quod prohibet mulieres ſine certis ſolennitatibus contrahere, iudæas mulieres etiam continet. SVRDVS *deciſ. 133. n. 2.* CYRIAC. *c. l. n. 21.* Quin & pro dote ſua communi priuilegio gaudent, quod in *l. 12. C. qui potior. in pign. hab.* traditur. Vid. TIRAQ. *cit. l. n. 10.* RICCIVLL. *lib. II. c. 48.* Similiter quæ de donationibus in iure ſunt conſtituta iura ſingularia, recte quoque ad infideles applicantur. Vid. RICCIVLL. *lib. II. c. 14. n. 23.* Et denique omnia alia iura communia, quæ modo ad *infideles* poſſunt applicari, eos quoque ligant, cum ſint *ſubditi*, & in eodem cum reliquis territorio viuant, nec vllibi excepti.

Cum Chriſtianis non æquali gaudent iure ſic matrimonium cum fidelibus non contrahunt

§. XI. Non æquali tamen ſemper iure vtuntur, quando cum Chriſtianis ipſis agendum eſt. Sunt enim quædam negotia infidelibus quidem conceſſa, prohibita tamen, ne cum Chriſtianis ſuſcipiantur. Huc primo pertinet matrimonium, quod iam Patres in primitiua eccleſia admodum diſſuadebant, variaque incommoda allegabant,

bant, quæ ex coniunctione fidelis cum infideli naſci ſolebant. Vid. TERTVLLIAN. *ad vxor.* Neque enim talia matrimonia ab initio abſolute prohibita exiſtimabantur, lege ſacra deficiente, quod plenius euictum eſt in *obſeruationibus Halenſib. tom. X. obſ. 10. §. 8. ſeqq.* Animaduertebant tamen primi Chriſtiani infinita incommoda ex eiusmodi matrimonio oriri, quæ vix poterant euitari & auerti propter grauiſſima odia, quæ animos infidelium adeo occupauerant, vt non poſſet non intima animorum conſpiratio, in matrimonio requiſita, deficere. Hinc fallit AVTOR *cit. obſeru. 10.* credens, has moleſtias, quæ contra hæc matrimonia a Patribus allegantur, caſu & ex accidenti contigiſſe, atque pietate, modeſtia ac prudentia alterius coniugis facile corrigi potuiſſe; talem enim philoſophiam haud admittit ſtatus temporum, quibus infinitis malis Chriſtiani torquebantur, vnice ob religionis diſparitatem, ſeu ob noua & peregrina ſacra, quas moleſtias ipſe Chriſtus iam prædixerat. Admitto facile, diſparitatem religionis matrimonio obſtaculum de iure naturæ non parere, nec ſola incommoda & moleſtias prohibitionem iuris inuoluere, quippe quæ tantum diſſuadent, non neceſſitant. Facile tamen *lex ciuilis* inde occaſionem arripere poteſt, id prorſus prohibendi, quod tantum recta ratio diſſuadet. Vtroque ſane iure tam *ciuili*, quam *eccleſiaſtico* talia matrimonia prohibita ſunt, adeo vt per conſtitutionem THEODOSII coniunctio inter fidelem & infidelem *adulterii* vicem habere dicatur in *l. 6. Cod. de iudæis.* Similiter in *Concilio Aurelianenſi III.* anno 538. celebrato *c. 13.* apud HARDVIN. *tom. II. concil. p. 1426.* ſub pœna *excommunicationis* hæc coniugia ſunt interdicta, id quod variis aliis Conciliis repetitum. Vid. *Concil. Toletan. III.* de anno 589. *c. 14.* apud HARDVIN. *tom. III. p. 481.*, *Romanum I.* de anno 743. *c. 10.* apud HARDVIN. *cit. l. p. 1929.* Conf. *c. 15. & ſeqq. C. 28. qu. 2.* Aucta eſt magis hæc prohibitio, poſtquam creditum fuit, in matrimonio fidelium *ſacramentum quoddam* latitare, quod ingens diſcrimen, prout *ſect. I. cap. I.* oſtenſum, inter ma-

tri-

trimonia fidelium & infidelium introduxit, iuxta *c. 7. X. de diuort.* & quamuis Proteſtantes ab hoc conceptu vt plurimum alieni ſint, ex aliis tamen cauſis merito ab hoc matrimonio abſtinent. Vrget quidem AVTOR *cit. obſeru. 10.* hiſce matrimoniis nullam ſolidam rationem obſtare, ſed potius illa licita eſſe, (1) quia alium quemcunque contractum cum iis celebrare licet, (2) quia nec principibus interdictum fœdera cum infidelibus pangere, (3) quia nec leges naturales huic matrimonio reſiſtunt, quin (4) hiſce coniugiis exempla veteris & noui teſtamenti maxime fauent. Verum ex his rationibus haud efficitur, vt tales coniunctiones promiſcue, *pro ſtatu præſenti*, in quo viuimus, admitti poſſint, quod vnice in quæſtione eſt. Nam (α) a ceteris contractibus ad coniugia nulla valet conſequentia, quæ intimam animorum conſenſionem deſiderant, & vix ſperari poteſt in tali conſortio. (β) Fœdera, quæ a principibus ineuntur, itidem ſubſiſtere poſſunt, inter abſentes, ſine tali conſpiratione voluntatum. Hæc nullam indiuiduam vitæ conſuetudinem inducunt, nec vincula perpetua habent, vti coniugium. Et quamuis (γ) ratio naturalis tale matrimonium haud impediat, iuſte tamen princeps ex rationibus vrgentibus illa prohibere poteſt, ex quibus reipublicæ maiora incommoda imminere videntur. Nec denique (δ) exempla particularia ex ſacro codice petita generalem regulam conſtituunt, quin potius contrarium inde colligi poterit, quod Deus poſtea matrimonia cum gente Caanitica inire ſeuere interdixerit, *Exod. XXXIV, 16. Deut. VII, 3.* idque in Salamone reprobatum fuerit, *1. Reg. XI, 1. 2.* ne hoc modo idololatria in gente iudaica introduceretur, id quod merito quoque adhuc hodie ex eiusmodi matrimoniis metuendum eſt.

[Margin: obiectiones, reſoluuntur]

[Margin: Infidelibus interdictum ne mancipia chriſtiana posſiderent]

§. XII. Similiter olim interdictum fuit, ne iudæi vel pagani Chriſtiana mancipia, vllo titulo, acquirerent, quia metus iuſtus erat, ne ex dominica poteſtate inuita circumciderent, & ad ſua ſacra cogerent, id quod ſub pœna capitali prohibitum eſt in *l. 1. Cod. ne Chriſt. mancip. hæret. vel iud.*

iud. vel pagan. hab. Idem quoque in iure Canonico repetitum, quod *nefas* ſit, *quem Chriſtus redemit, blaſphemum Chriſti in ſeruitutis vinculis detinere,* vt dicitur in *c. 1. X. de iud.* niſi forſan adſcriptitii ſerui fuerint, qui colendis terris eorum diutius adhæſerunt. *c. 2. X. de iud.* Ex eodem fundamento in *c. 13. X. de iud. nefandum* eſſe dicitur, quod iudæi faciant Chriſtianas filiorum ſuorum *nutrices,* ex illa ratione, *quod per triduum, antequam eos lactent, lac effundere faciant in latrinam.* Hoc quidam limitant, ſi extra domum per nutrices Chriſtianas ſuos infantes lactari faciant: vid. RICCIVLLVS *lib. II. cit. tr. c. 28. n. 17.* FERMOSINVS *ad c. 1. & 2. X. de iud. n. 19.* id quod tamen alii reiiciunt ex nimio in infideles odio, vt liquet ex doctrina FERMOSINI *cit. l. n. 20. & ſeqq.* Quin ſi rationem Pontificis in *c. 13. cit.* intuemur, ne quidem permiſſum erit iudæis *famulos* fideles habere, *ne filii liberæ filiis famulentur ancillæ, ſed tanquam ſerui a Domino reprobati, in cuius mortem nequiter coniurarunt, ſe ſaltem per effectum operis recognoſcant ſeruos illorum, quos Chriſti mors liberos, & illos ſeruos effecit.* Dubito vero, an hodie huic probitioni amplius locus ſit, imprimis in terris Proteſtantium, cum ſæpe contingat, vt alias nutrices habere non poſſint iudæi, quam Chriſtianas mulieres, ipſæ matres tamen ad lactandum inhabiles ſint.

nec nutrices

nec famulos

§. XIII. Sic & plura alia antiquo iure prohibita reperiuntur, quæ ægre in praxin deduci queunt, veluti quod Chriſtiani a iudæis non poſſint recipere medicinam. *c. 13. C. 28. qu. 1.* FERMOSIN. *ad c. 1. X. de iud. qu. 1. n. 1. ſeqq.* Id ipſum GREGORIVS XIII. anno 1581. adeo prohibuit, vt non ſolum medicis iudæis ægrotantes Chriſtianos viſitantibus grauiſſimam pœnam dictauerit, ſed etiam ſacramenta & ſepulturam morientibus denegauerit, quod admodum barbarum eſſe recte iudicat BASNAGE *dans l'hiſtoire des Juifs lib. IX. c. 15. §. 7.* Mouet inter noſtrates etiam hanc quæſtionem MICH. BERNH. VALENTINI *in pandectis medico-legalib. P. I. ſect. 4. §. 4. Sed quid,* ait, *de iudæis in exterorum academiis publice in doctores promotis? An & illorum opem Chriſtiani ſalua*

nec chriſtiani ab eis medicinam accipere debent

conſcientia implorare poſſint? An & medici Chriſtiani eosdem ad conſultationes admittere, & cum iis curas morborum ſuſcipere tenentur? vtrumque negat, & *p. 443.* reſponſo Facultatis Theologicæ hoc confirmat, quo multis argumentis cauſa hæc exornatur, & *p. 449.* academiæ Argentoratenſis & Roſtochienſis conſenſus ſubiicitur. Rationes potiſſimum hæ ſunt. (I) Quod vſus medici iudæi ſit contra verbum Dei, & præceptum de vitandis blaſphematoribus. Hæc ratio plus probat, quam debebat, quia alias nullum commercium cum ipſis peragendum foret. (II) Quod ſit contra Apoſtolorum monita, qui, ſi quis ægrotet, ſeniores eccleſiæ vocare iubent. Sed hi non excludunt medicos, nec ad medendum vocantur. (III) Quod ſit contra Patrum ſancita, & (IV) contra receſſus imperii, aliaque iura tam ſacra, quam ciuilia. Verum Patrum ſententiæ plus odii ſæpius ſpirant, quam veræ rationis, quod etiam de aliis iuris canonici textibus dicendum. In legibus ciuilibus & receſſibus Imperii altum de hac prohibitione ſilentium eſt. (V) Quod venena loco medicamentorum de conſenſu Thalmudi adhibeant, & (VI) ita ægri præſentaneo ſeſe periculo exponant. Sed vix hoc metuendum eſt, poſtquam iudæi inter Chriſtianos duris conſtringuntur vinculis, vt tale facinus committere vix audeant. Sparguntur plures calumniæ in iudæos, quæ ab aliis ſatis detectæ ſunt. (VII) Quod iudæi in ſuperſtitione confortentur, quæ ratio omni connexione deſtituitur. (VIII) Quod teſtimoniis deſtituantur; qualia quæ ſint non capio. Quid enim ſi publice iudæi in doctores promoti ſint? (IX) Quod neque iudæis facile Chriſtianos conſulere liceat; quod tamen experientiæ propriæ repugnat. (X) Quod ſint infames, & omnibus honoribus priuentur; verum de hoc infra videndum eſt. Concludo itaque iudæos rite promotos in doctores medicinæ abſolute non poſſe excludi a cura ægrotantium Chriſtianorum, poſtquam hodie exempla non deſunt, eis etiam gradum hunc conferri ſolere.

Rationes prohibitionis examinantur.

§. XIV.

§. XIV. Facilius admitti poteſt, ne iudæi ad tutelam Chriſtianorum admittantur, quod quidem in *l. 15. §. 6. de excuſ. tutor.* permiſſum eſt, ægre tamen ad praxin applicari poterit. Equidem aſſerunt *c. l. 15.* de Chriſtianis eſſe accipiendam, quippe qui primis temporibus *iudæorum* nomine apud gentiles veniebant. Sed ſi vel maxime hoc verum ſit, facile tamen liquet, diuerſitatem religionis tutelæ haud obfuiſſe, quippe quam gentiles vt *munus publicum* fere vnice conſiderabant, & ita per indirectum beneficio iudæos affici credebebant, ſi ab hoc onere in tantum eſſent immunes. Hodie vero hac ſola ratione non ducimur in tutela deferenda, quin potius ad mores tutorum reſpicimus, vt vix tutela ei permittatur, qui diuerſæ ſectæ inter Chriſtianos addictus eſt. Nec gentilium exemplum nobis præiudicat, qui eam animæ curam haud habuerunt, quæ Chriſtianis commendata eſſe debet, quibus accedunt tot aliæ conſtitutiones eccleſiaſticæ, quæ tali directioni, quam tutor in pupillum conſequitur, reſiſtunt. Conf. SCHILTER *exercitat. XXXVII. §. 19. & ſeqq.* Id facile conceſſerim, poſſe etiam ex rationibus iuſtis admitti, vt iudæus *curatelam* ſuſcipiat; quid enim ſi Chriſtianus cum iudæo communem negotiationem exercuiſſet, & pro eius continuatione in teſtamento ſuo cauiſſet, vt iudæus ſocius curatelam filiorum gereret, adiuncto Chriſtiano tutore, qui educationem liberorum ſuſciperet, quod nec SCHILTERVS *cit. l. §. 18.* abſolute negare videtur. Conf. RICCIVLL *lib. II. cit. tr. c. 30.* An iudæi poſſint eſſe tutores Chriſtianorum?

§. XV. Similiter paſſim prohibitum eſt, ne iudæi poſſint inter Chriſtianos bona immobilia acquirere, quod alias de iure communi iis conceſſum, vt conſtat ex *c. 2. X. de iudæis* & *c. 16. X. de decim.* Vid. RICCIVLL *lib. II. c. 50.* Sane in ducatu Magdeburgico variis edictis talis immobilium acquiſitio iudæis interdicta, vti docet *Corpus conſtitutionum Magdeburgicar. a Dn.* MYLIO *editum P. III. p. 440. 445. 462. & 464.* Hoc vel inde prohibitum eſſe videtur, quia nemo immobilia acquirere poteſt, niſi ſimus *ius ciuitatis* An poſſint bona immobilia poſſidere inter Chriſtianos?

tatis impetrauerit, ad quod ægre admittuntur iudæi propter ſtatum eorum dubium. Interim praxis quotidiana docet, iudæos nihilominus ædes, ſub nominibus Chriſtianorum, acquirere, quod eo facilius permittitur, quia eas hoc caſu poſſidere poſſunt citra acquiſitionem iuris ciuitatenſis.

Chriſtianis interdictum ne nomina contra alium Chriſtianum a iudæis emant.

§. XVI. Præterea quamuis alias ceſſio & venditio ſit licita & quibuscunque permiſſa, tamen in *R. I. de anno 1551. §. 80.* & *Ordin. polit. de anno 1577. tit. 20. §. 20.* hic quoque diuerſitas quædam quoad iudæos introducta, & ita cautum: Es ſoll auch kein Chriſt hinfürthers einem Juden ſein Action und Forderung gegen einen andern Chriſten abkauffen, oder ein Jud als Schuld-Gläubiger einem andern Chriſten ſolche Actionen und Forderungen in einigen Weg cediren, oder einiges contracts weiß zu ſtellen, bey Verluſt derſelben Forderung. In §. *ſeq. 81.* hoc vlterius confirmatum: Zu dem wollen und gebieten wir, daß keine Oberkeiten, Notarii, oder andere Schreiber, dieſe Contract, da ein Jud eines Chriſten Schuld einem andern Chriſten verkaufft, ſtellen und verfertigen ſoll. Wo aber einige Oberkeit, Notarii, oder andere Schreiber ſolches übertreten, dieſelbigen ſollen ihrer Ehren und Aemter entſetzt ſeyn, ſich deren nicht mehr zu gebrauchen haben. Aber der andern Schreiber halben, ſo hiewider handeln würden, befehlen Wir hiemit den Oberkeiten eines jeden Orts, daß ſie die mit dem Thurn, Gefängnüß, oder in andere gelegene Weg ſtraffen. Iudæorum nomina admodum ſuſpecta vbique fuere de *vſuraria prauitate;* ne ergo Chriſtiani de hoc vitio participarent, talis prohibita eſt ceſſio. Id indicant verba §. *79. dicti R. de anno 1551:* Neben dem ſo erfindt ſich, daß auch die Juden ſolche ihre unbilliche Schulden und Anforderungen, die ſie auf den armen Chriſten mit höchſtes Beſchwerden und unziemlichen Vortheil erlangt, andern Chriſten verkauffen, und die Verſchreibung auf die Kauffer ſtellen laſſen, welche in die armen übervortheilte Schuldner zu dem hefftigſten dringen, und ſie etwan gar von Hauß und Hoff vertreiben. Equidem CARPZOV. *P. II. C. 30. Def. 45.* hanc admittit ceſſionem, ſi de *vſuraria*

pra-

prauitate non conſtat, & vbi contractus *iudicialiter* eſt celebratus, videturque reſpexiſſe ad *cit. R.* §. *80.* vbi ſimul cautum, vt iudæi omnes obligationes *iudicialiter* contrahant, quo omnis abſit fraudis vſurariæ ſuſpicio. Verum id quidem contra mentem dicti Receſſus eſſe videtur. Duo omnino ſunt articuli, qui in *cit.* §. *80.* traduntur: (1) vt obligationes a iudæis iudicialiter ineantur: (2) ne nomina ſua aduerſus Chriſtianum alii Chriſtiano cedant. Generalis eſt hæc prohibitio, vt recte obſeruat LAVTERBACH *de procurat. in rem ſuam th. 20.* quæ ad eum reſtringi nequit caſum, vbi *extraiudicialiter*, & ſic *nulliter* contracta eſt obligatio, cum eius ceſſio aliunde inualida eſſet, & quod nullum eſt, cedi nequidem iudæo vel alii infideli poſſit. Nec vſus fori Saxonici, de quo CARPZ. *cit. l.* & poſt eum PHILIPPI *ad deciſ. Elect. 28. obſ. 6. n. 33. ſeqq.* loquuntur, vniuerſalem praxin imperii facit, ſed potius iuri communi in dubio inſiſtendum.

§. XVII. Alias commercia cum iudæis facilius admitti poſſunt, quam cum Saracenis, Chriſtiani nominis hoſtibus immaniſſimis, quibus arma, ferrum & ligamina galearum, aliaque ad inſtruendam militiam deferre prohibitum eſt in *c. 6. X. de iudæis*, ſi vel maxime *treuga* ſit facta, quippe quæ tantum inducias ad tempus continet, bellum non finit. *c. 11. X. eod.* Hoc ipſo hæc prohibitio perpetua eſt, quin cum infidelibus nunquam *pax*, ſed tantum *induciæ* ineuntur. Multo magis ergo hæc prohibitio locum habebit, bello cum Turcis adhuc durante. *c. 12. X. eod.* Merito tamen differentia adhuc eſt facienda inter tempus *belli* & *induciarum:* illo omne commercium cum Saracenis ſiſtitur; hoc vero non item, adeoque merces ad eos deferri poſſunt, exceptis illis, quæ ad inſtruendam militiam tendunt, BARBOSA *ad c. 11. cit. n. 1. & 2.* FERMOSIN. *ad c. 7. X. de iudæis qu. 1. n. 4.* id quod quoque iam olim prouiſum fuit in *tit. C. quæ res export. non deb.* Idem quoque repetitum in der Cammer-Gerichts-Ordn. *de anno 1555. P. II. tit. 20.* §. *1.* Weiter ob ſich jemand in Hülff, Rath, oder

Saracenis & paganis vendi nequeunt quæ ad bellum inſtruendum pertinent.

Anſchläge der Türcken, oder anderer, ſo mit der That, oder auf andere Weiß, wider die Chriſtenheit, das Reich teutſcher Nation geben würden, dieſelbe ſollen aus dem Reich geſchloſſen, ihr Haab und Guth confiſcirt, und dermaßen offentlich publiciret, und durch den Fiſcal, wie ſichs gebührt, eingezogen werden.

An fœdera cum iis permiſſa?

Neque hæc prohibitio iuris Canonici tantummodo *priuatos* ſtringit: ipſi Reges etiam ei ſubiiciuntur, vt aliis quoque iuris huius diſpoſitionibus. Id ipſum CAROLVS V. applicandum eſſe cenſuit ad FRANCISCVM I. Regem Galliæ, fœdus cum Turcis contra Imperium percutientem, id quod nefas fuiſſe credidit. Hac de cauſa in *R. I.* de *anno 1544. §. 4. ſq.* hac de iniuria ita conqueſtus eſt: Und dieweil man öffentlich befunden, daß der König von Franckreich, ſich nicht allein mit bemeldtem Feind, dem Türcken, in Bündniß eingelaſſen, ſondern auch demſelben dergeſtalt anhängig gemacht, daß er ihn wider gemeine Chriſtenheit bewegt hat, daraus dem Reich teutſcher Nation, und gemeiner Chriſtenheit noch mehr verderblicher und unwiderbringlicher Schade entſtehen möchte. So achten Wir, auch Churfürſten, und Stände des Heil. Reichs, und der abweſenden Räthen und Bottſchafften, gedachten König von Franckreich, nicht weniger dann den Türcken, für gemeinen Feind der Chriſtenheit zu halten, und derwegen gegen ihn, gleichwie gegen den Türcken mit thätlicher Handlung und Straff zu handeln, und um ſo viel deſto mehr, daß darob andere Chriſtliche Potentaten Urſach ſchöpffen mögen, ſich künfftiglich ſolcher unchriſtlichen Handlungen zu enthalten. Und demnach haben ſich Churfürſten, Fürſten und Stände, und der abweſenden Räthe und Botſchaften entſchloſſen, ſich gegen gemeldten König von Franckreich, nicht allein mit Worten, ſondern auch mit der That zu erklären. Ita quidem ſecundum ius canonicum iudicare potuit CAROLVS V., cuius tamen placita inter gentes vim nullam habere debebant. An itaque de *iure gentium* etiam eodem modo iudicari debeat? examinauit Dn. PRAESES *in iur. publ. vniuerſ. P. ſpec. lib. 2. c. 1. §. 42. in not. lit. q.*, quod hic non repetam.

§. XVIII.

§. XVIII. In *iudicialibus* cauſis quædam apparet differentia, & quidem primario ratione teſtimonii, iuxta *l. 21. C. de hæret.* Iudæi contra Chriſtianum produci teſtes nequeunt, ſi vel maxime orthodoxus contra orthodoxum agat; vbi lis tantum inter iudæos vertitur, ſatis habiles cenſentur, quod etiam dicendum videtur, ſi inter Chriſtianum & iudæum quæſtio, & ille iudæum produxerit teſtem. *Nou. 45. c. 1.* Ille enim in præiudicium producentis pro habili reputandos, quem producens approbauit. *c. 26. C. 2. qu. 7.* Similiter teſtimonium Chriſtianorum aduerſus iudæos in omnibus cauſis recipiendum eſſe decernitur in *c. 21. X. de teſtib. cum eos Chriſtianis ſubiacere oporteat, & ab eis pro ſola humanitate foueri.* Ita philoſophatur Pontifex, mirifice vero odio in gentem iudaicam indulget. Admitto, iudæos alieno in Chriſtianos animo eſſe, quosdam etiam hoſtili; admitto eos proinde eſſe ſuſpectos: aſt ſæpe etiam Chriſtiani, qui, teſte hiſtoria, infenſo vt plurimum fuerunt animo in iudæos, ſuſpecti ſunt, vt tanta diuerſitas induci non debuiſſet. Proinde multum iudicis arbitrio hic relictum, nec vbique iudæi *abſolute* a teſtimonio contra Chriſtianos repellendi, adeo vt etiam in *Camera* iudæis cum Chriſtianis litigantibus quandoque deferri ſoleat iuramentum ſuppletorium; MYNSING. *cent. 5. obſ. 6.* multo magis ergo ad teſtimonium admitti, ſalua tamen exceptione, quod præiudicio illuſtrat Dn. PRAESES *in iur. eccl. prot. lib. II. tit. 20. §. 3.* Ius commune ſequitur ILL. BERGER *in diſcept. for. ad proceſſ. Saxon. tit. 22. obſ. 1. not. 8.* & in *recogn. ordin. Saxon.* idem approbatum docet, addit tamen *p. 724.* nonnunquam iudæum ad ſuppletorium admitti poſſe, iuſta cauſa id ſuadente, puta ſi maior ſemiplena probatio pro iudæo militet. BERLICH. *P. I. concl. 54. n. 67.* Quod ſi negotiationem exercent, iure ceterorum *mercatorum* frui debent, quorum libris, ceteris paribus, ſemiplena fides tribuitur, Dn. PRAESES *lib. II. tit. 22. iur. eccl. prot. §. 9.* quod tamen ab aliis in dubium vocatur. vid. Dn. HORN. *claſſ. XI. Reſponſ. n. 87. p. 751.* Similiter nec inhabiles

Iudæi teſtimonium ferre non poſſunt contra Chriſtianum.

ſaluo iudicis arbitrio

An ad iuramentum ſuppletorium contra Chriſtianum

teſtes

teſtes ſunt iudæi in Chriſtianorum contractibus & vltimis voluntatibus, quod diſertis exceptum verbis in *cit. l. 21.* Quamuis vero alias *iudæi* & *pagani* in plerisque conueniant, in hoc tamen deterioris conditionis ſunt, vt prorſus ab omni teſtimonio ſint excluſi cum Manichæis, Samaritis, aliisque relatis in *cit. l. 21.* Hoc rigore hodie ſine dubio haud foret vtendum, ſi *pagani* inter nos degerent, cum nec extorres iudicandi, vt eo tempore pagani, nec tanto odio eos proſequamur. Si mera eſſent mancipia, ex captiuitate bellica, minus quidem fidei haberent, verum abſolute non eſſent repellendi. Denique etiam hanc diuerſitatem inducunt, quod iudæi actoribus Chriſtianis inſtrumenta edere teneantur, ob *Clem. vn. §. ceterum de vſur.* qua cautum, vt libri vſurariorum actoribus ſemper edi debeant. Id quod ad iudæos vel ideo extenditur a gloſſa, quod iudæi præſumantur eſſe vſurarii. PACIANVS *de probat. lib. I. c. 63. n. 85.* Dn. HORN. *cl. 11. Reſp. n. 87. p. 751.* Verum id tunc demum admittendum eſſe cenſeo, ſi ob *vſurariam prauitatem* contra iudæos agitur; ſi aliam ob cauſam editio documentorum ab eis deſideratur, inſiſtendum iuri communi.

Pagani itidem prorſus ab omni teſtimonio repelluntur

An iudæi Chriſtianis actoribus edere inſtrumenta teneantur

§. XIX. Obſeruaui vero præterea, quod quidem iudæi *infamia* nulla laborent, quadam tamen reputentur aſperſi macula, quæ opinio rurſus debetur iuri canonico, quo omnis conuerſatio tot ſanctionibus cum iudæis eſt prohibita, quo factum, vt plura iis denegentur iura, quæ nonniſi his, qui integræ exiſtimationis ſunt, competunt. Sic conſtat quod excludantur a *collegiis opificum*, æque vt ſpurii & carnifices, indeque factum, vt vnice quæſtui, ex variis commerciis comparando, ſeſe dedere ſoleant, non ſine incommodo reipublicæ, quod quomodo euitari & emendari poſſit, oſtendit Dn. PRAES. *diſſ. de caut. iud. tolerant.* Ea de cauſa quoque excluduntur ab omnibus officiis publicis, *l. f. C. de iudæis, c. 16. & 18. X. eod.* munere iudicandi ſuper Chriſtianos fungi nequeunt, quod cautum in *Synodo Regiat. c. 20. anno 850.* apud HARDVIN. *tom. V. concil. p. 30.* & in *Concil. Aruern anno 535. c. 9.* apud EVNDEM

Ob maculam a dignitatibus aliisque iuribus arcentur.

tom.

tom. II. p. 1182. Similiter militare, & cauſas agere prohibentur in *Concil. Valentin. III. anno 425. c. 5.* apud EVNDEM *tom. I. p. 1270.* a publica & priuata adminiſtratione remouentur in *Concil. Auenion. de anno 1209. c. 2.* apud EVNDEM, *tom. VI. P. II. p. 1986.* Porro poſtulare quoque prohibiti ſunt in *l. f. C. de poſtul.* & *l. 15. C. de epiſc. aud.* vt nec notarii munere fungi poſſint. RICCIVLLVS *lib. II. de iur. perſon. extra grem. eccleſ. exiſt. c. 27.* & ſic non mirandum, quod ad gradus Academicos, qui dignitatem continent, admitti nequeant, IDEM *cit. l. c. 25.* cum etiam a *iure ciuitatenſi* in pleriſque arceantur locis. Hac de cauſa quoque in variis conciliis conſtitutum, quod iudæi a Chriſtianis habitu diſcerni debeant. vid. *Concil. Later. IV. de anno 1215. c. 68.* apud HARDVIN. *tom. VII. concil. p. 70.* vt portent in pannis ſuperioribus certum ſignum, ſcilicet *rotam panni crocei coloris*, & mulieres eorum in capite, quod conſtituit *Concil. Rauenn. de anno 1311. c. 23.* apud EVNDEM *cit. l. p. 1370.* idque repetitum in *reform. polit. de anno 1530. tit. 22. §. 1.* quod tamen haud obſeruari animaduertimus. Has concluſiones peperit tum *odium*, cui communiter expoſiti ſunt, tum communis perſuaſio, qua pro abiectiſſimis & viliſſimis habentur.

§. XX. Enim vero (I) hæc omnia minime ligant principem, cui integrum eſt, etiam iudæos ad munia publica admittere, eisque gradus Doctoratus conferre, quod praxi notiora corroboratur. (II) Conſultius vtique foret, ſi rigor iuris hac in re temperaretur, & quemadmodum ad negotiationem, ita etiam ad alia officia & opificia in ciuitatibus admitterentur, quo commodiori vitæ genere ſe ſuamque familiam alere poſſent, id quod quomodo introduci poſſit, plenius excuſſit Dn. PRAES. *diſſ. de caut. iudæor. tolorant.* ad quam breuitatis ſtudio B. L. ablego. Imo (III) ex hac praxi id incommodum quoque euenit, vt, quoties conuertuntur, inidonei ad certum vitæ genus eligendum ſint, prout *cap. ſeq.* indicabo, id quod tamen, ſublata per leges publicas hac macula, facile emendari poſſet. Epicriſis

S *SECTIO-*

SECTIONIS II.

CAPVT II.

DE

Iure profano circa infideles conuertendos, vel conuerſos.

§. I.

Fauore fidei & conuerſionis multa iura ſingularia ſunt conſtituta.

OBſeruatum eſt ſæpius, ſtatum *fidelium* & *infidelium* in plurimis diuerſum eſſe, diuerſaque ſingulis iura tribuere, idque tum fauore *fidei* tum odio ἀπιςίας & *idololatriæ*, cuius rationes in *prolegom.* expoſuimus. Iam olim Romani fauore *libertatis* multa contra communes regulas ſtatuiſſe leguntur, teſte IVSTINIANO in §. 4. *Inſtit. de donat.* Quidni ergo fauore *fidei* & *conuerſionis* multa admitti debeant, quæ a regula ordinaria recedunt? Neminem cogi poſſe ad rem ſuam vendendam, & ſic ad mancipia dimittenda tralatitium eſt. Fauor *fidei* & *conuerſionis* mox exceptionem format, adſtringitque dominum, vt ea dimittat. Iam *cap. antec.* notaui, iudæos Chriſtiana mancipia habere non poſſe. Idem quoque in *c. 1. X. de iudæis* ad eum caſum extenſum, ſi Chriſtianus fieri deſiderat, vt, datis duodecim ſolidis, quicunque Chriſtianorum ſeu ad ingenuitatem, ſeu ad ſeruitium ea licentiam habeat redimendi; id quod deſumtum eſt ex *Concilio Matiſconenſi I.* de anno 581. *c. 16.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 553. &* GRATIANVM *c. 18. D. 54.* Idem iam cenſuit GREGORIVS in *c. 15. D. 54.* conſtituitque, *ne ſi de iudæorum ſeruitio, non ſolum iudæus, ſed etiam quisquam paganorum fieri voluerit Chriſtianus, poſtquam voluntas eius fuerit patefacta, hunc ſub quolibet ingenio, vel argumento, cuipiam iudæorum venundandi facultas ſit, ſed is qui ad Chriſtianam conuerti fidem deſiderat, defenſione epiſcopi in libertatem modis omnibus vindicetur,*

mancipia ad conuerſionem adſpirantia manumittenda

tur,

tur, vt tamen dominus ſeruetur indemnis, ſi Chriſtianus emtor intra tres menſes pretium ſoluere velit, imo ſi poſt tres menſes, quo a gentili comparatus eſt, voluntatem ſuam declarauerit, mox ad libertatem perduci debet, quod hunc non ad *vendendum* ſed ad *ſeruiendum* ſibi dicatur comparaſſe. Idem repetitum in *Concilio Toletano XII. c. 9.* apud GRATIANVM in *c. 17. D. 54.* & *c. 19. X. de iud.* vbi GREGORII ſententia expoſita eſt. Maius priuilegium addit IVSTINIANVS in *l. 56.* §. *3. C. de epiſc. & cleric.* decreuitque, vt *ſi quis ex iudæis, vel paganis, aut hæreticis habuerit ſeruos nondum catholicæ fidei ſanctiſſimis myſteriis imbutos, & prædicti ſerui deſiderauerint ad orthodoxam fidem venire, poſtquam catholicæ eccleſiæ ſociati fuerint, in libertatem modis omnibus ex præſenti lege eripiantur, & eos tam iudices prouinciarum, quam ſacroſanctæ eccleſiæ defenſores, nec non beatiſſimi epiſcopi defendant, nihil pro eorum pretiis penitus accipientibus dominis. Quod ſi forte poſthac etiam ipſi domini eorum ad orthodoxam fidem conuerſi fuerint, non liceat eis ad ſeruitutem reducere illos, qui ad fidem orthodoxam præceſſerunt. Sed ſi quis talia vſurpauerit, pœnis grauiſſimis ſubiacebit.* imo ex lege Iuſtiniani mox liberi fiunt.

§. II. Inde ſimul iudicium ferri poteſt de eorum doctrina, qui mancipia conuerſa indiſtincte in libertatem vindicant, qua de quæſtione plenius agit excell. DN. LVDOVICI *diſſ. de effectu baptismi iurid.* §. *5. & ſeqq.* Vt plurimum qui hanc ſententiam defendunt, ad textus iam adductos prouocant, mirifice tamen omnia confundunt. Diſtinguendum videlicet eſt, vtrum in ſeruitute domini *fidelis* an *infidelis* conuertendi fuerint: poſteriori caſu facilius ad libertatem peruenire poterant, non tamen abſolute ex doctrina *antiquorum canonum* liberi olim fiebant, ſi dominus Chriſtianus eos pretio redimere paratus erat, qui eo caſu huiusmodi ſeruum ſub ſuam redigebat poteſtatem. Multo minus ergo priori caſu aſſeri poterit, mancipia in poteſtate dominorum chriſtianorum exiſtentia per *conuerſionem* ſeu *baptiſmum* ad liberta- Non tamen ſi in ſeruitio fidelis domini fuerint.

 tem

tem *ipſo iure* deduci, vt plenius docet Illuſtr. THOMASIVS *quæſt. 8. ad diſſ. 15. & 16. de ratione ſtatus.* Imo experientia recentior teſtatur, mancipia Turcica etiam poſt conuerſionem ad fidem Chriſtianam in ſtatu ſuo priſtino perduraſſe, cum nulla ratio, ob quam neceſſario manumitti debeant, adferri poſſit. Nec in eccleſia primitiua, quæ exuberantiſſima charitate & fide excelluit, coacti ſunt domini fideles, mancipia poſt *conuerſionem* manumittere, vt docet PAVLVS *Epheſ. VI, 9.* Quin *1. Timoth. VI, 2.* diſerte docet, ſeruos poſt conuerſionem ſub prætextu fraternitatis Chriſtianæ dominos ſuos haud ſpernere, ſed potius cum maiori fidelitate eis ſeruire debere. Nec quod PAVLVS *epiſt. ad Philemon. v. 16.* adfert, contrariæ ſententiæ fauet, qua admonet PHILEMONEM, vt ONESIMVM ſeruum fugitiuum, a ſe conuerſum, recipiat non vt *ſeruum*, ſed tanquam *chariſſimum fratrem.* Hæc verba id tantummodo indicant, ſeruitutem ex charitate Chriſtiana temperandam, nec, more gentili, permiſſu etiam legum Romanorum, cum eo vt *fugitiuo* agendum eſſe, qui atrociſſime olim habebantur, vt docet *Tit. D. de fugitiu.* Præcauet id vnice PAVLVS, quod ſummo iure in eum ſtatuere poterat PHILEMON, quod tamen ONESIMO iam remittendum erat ex Chriſtiana charitate. Similiter nec leges hanc manumiſſionem imperant, nec ratio aliqua eam ſuadet, quin potius metuendum eſt, ne domini auari potius impediant conuerſionem mancipiorum, quam promoueant, animaduertentes iacturam mancipii ſui ſibi imminere. Quæ de cetero in contrarium afferuntur ex conſtitutionibus PII V. & PAVLI III. reſoluit Illuſtr. THOMAS. *cit. l.* §. 8.

Olim conuerſorum bona confiſcabantur.

§. III. Olim ſane infideles conuerſi nihil adeo ex conuerſione lucrabamur, ſed, quod praua conſuetudo introduxerat, ſæpe iacturam omnium bonorum patiebantur. Liquet id ipſum ex *c. 5. X. de iud.* deſumto ex *Concilio Lateranenſe III.* de anno 1179. *c. 26.* apud HARDVIN. *tom. VI. P. II. concil. p. 1683.* quo ita cautum fuit: *Si qui præ-*

præterea Deo inſpirante ad fidem ſe conuerterint chriſtianam, a poſſeſſionibus ſuis nullatenus excludantur, cum melioris conditionis ad fidem conuerſos eſſe oporteat, quam ante, quam fidem ſuſceperint, habebantur. Si autem ſecus fuerit factum, principibus ſeu poteſtatibus eorundem locorum iniungimus, ſub pœna excommunicationis, vt portionem hereditatis ſuæ & bonorum ſuorum ex integro eis faciant exhiberi. Sed nec ita conſuetudo hæc irrationabilis deſiit, prout CAROLI IV. Francorum Regis *diploma* de A. 1393. *apud* IOH. MABILLON. *tom. III. analect. p. 511.* docet, huius tenoris: *Carolus Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus vniuerſis præſentibus pariterque futuris, quod cum quadam conſuetudine ſiue vſu, qui in regno noſtro pleriſque aliis mundi climatibus diutius inoleuit, ſeu aliter a priſcis dicatur temporibus hactenus obſeruatum, quod dum aliqui ſectæ Iudaicæ abinde curant recedere, ſpiritu illuminati diuino, ac erroris limitibus derelictis, euulſisque ſquammis perfidæ cæcitatis inhærent fidei orthodoxæ, ſacrique baptiſmatis recipiunt ſacramentum; bonis, quæ præhabebant, nudantur omnino, & ſic ſuis viduati in rebus efficiuntur & remanent pauperes & inopes. Vnde interdum accidit, quod tales, qui antea locupletes ſe cernunt egenos, & quosdam ex eis vitam quaſi quærere mendicatum, in priſtina deuia relabuntur, ad vomitum damnabiliter remeando, in ſuarum proh dolor animarum perniciem, opprobrioſumque ſcandalum legis noſtræ, ac totius populi Chriſtiani. Nos antehabita deliberatione & conſilio præmaturo, affectantes iamdictis diſpendiis & inconuenientibus poſſe tenus obuiare, ac aduertentes, quanta ſit in excelſis in perditæ ouis recuperatione iucunditas, certisque aliis conſiderationibus excitati, harum ſerie litterarum edicimus, ordinamus, conſtituimus, irrefragabiliter ſancimus, quod deinceps, cum aliquos vtriusque ſexus Iudæos regnum noſtrum, tam in Gallica, quam in occitana, proxime, longius vel in poſterum incolentes, continget ſancti Spiritus infuſione & gratia illuſtrari, ac ſacri fontis vnda renatos, apertis luminibus cordium eorundem, ſuum verum cognoſcere Creatorem; per huiusmodi operationem*

rationem tam ſalubrem & meritoriam adeoque laudandam, quæ ſingulis ſic agentibus debet fore vtilis non nociua, nullis ſuis mundanis rebus aut bonis debeant aliqualiter ſpoliari; etiam nec quouis modo priuentur quantorumcumque exiſtant precii & valoris: quin potius easdem res & bona habere, tenere, & explectare, de ipſisque plene & libere ad ſuum diſponere libitum valeant, ſibique ſit licitum & permiſſum, perinde ac ſi poſt præmiſſum actum bona & res acquiſiuiſſent prædictas, aut ad eos iuſtis ex titulis perueniſſent, prætacta conſuétudine ſiue vſu nec non conſtitutionibus, ordinationibus & ſtatutis generalibus aut localibus regni noſtri iam dicti, ac defenſionibus, & mandatis contrariis nullimode obſtantibus in hac parte. Subiungit vir doctiſſimus MABILLONIVS, ſe alias eiusdem argumenti literas poſſidere *de A. 1381.* quibus iudæus quidam nomine IOSEPHVS DE VESOU, poſt baptismum publicatione bonorum affectus, partem eorum dono regio recepit, aliis in priuatos quosdam erogatis.

Moris huius ratio.

§. IV. Natus forſan hic prauus mos inde videtur, quod creditum fuerit, bona ante baptismum quæſita ex *iniuſto lucro*, vſuraria prauitate, aliisue titulis illicitis acquiſita præſumi, adeoque a recenter conuerſo ſalua conſcientia retineri non poſſe, quin potius, quod ſcelere acquiſitum, a fiſco vindicari debere. Colligo id ex diſpoſitione *Concilii Baſileenſis ſeſſ. 19. c. 6.* quæ indicat, ne eo quidem tempore, ſc. 1434. morem antiquum deſiiſſe. Indicant id Patres his verbis: *Si quis iudæorum ad fidem catholicam conuerti voluerit, bona ſua quæcunque habet mobilia & immobilia ei intacta illæſaque permaneant. Quod ſi huiusmodi bona ex vſura aut illicito quæſtu fuerint acquiſita, ac notæ ſunt perſonæ, quibus foret de iure reſtitutio facienda (quia non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum) illis reſtitui omnino oportet. His vero perſonis non extantibus, quia talia per manus eccleſiæ in pios eſſent vſus conuertenda, hæc ſancta ſynodus vicem gerens vniuerſalis eccleſiæ in fauorem concedit ſuſcepti baptiſmatis, tanquam in pium vſum, apud ipſos remanere debere; ſub pœna diuini anathematis interdicens*

cens tam eccleſiaſticis quam ſecularibus, vt nullam ſuper his quouis quæſito colore moleſtiam inferant, aut inferri patiantur; ſed magnum ſe feciſſe lucrum exiſtiment, dum tales Chriſto lucrati fuerint. Mitior hæc videtur eſſe ſanctio antiqua illa conſuetudine antea adducta; in effectu tamen eccleſia, ſi ſtricto iure vti vellet, ſibi ius confiſcandi competere contendit. Obſeruat id ipſum clariſſimus BASNAGE *dans l'hiſtoire des Iuifs tom. IX. P. II. c. 33. §. 4. p. 910.* aitque: *Ce Réglement eſt ſingulier; car, l'Egliſe n'a point le Droit de s'approbrier les Biens des Particuliers, principalement lors qu'ils ſont acquis, avant qu'on ſoit entre dans l'Egliſe, & dans le tems de l'Ignorance. Si l'Egliſe a ce Droit, elle ne peut l'exercer au Préiudice des Enfans, & des Héritiers de ceux à qui la Reſtitution eſt due. Enfin, on mettoit par là vn Obſtacle à la Conuerſion des Iuifs, en leur arrachant, ce qu'ils auoient acquis.*

§. V. Ceterum quoad ſtatum *dignitatis* maiorem conuerſis indulſerunt prærogatiuam. Supra iam notatum eſt, infideles leuis notæ macula aſperſos cenſeri, quæ a nonnullis *canonica infamia* dicitur, quod fama eorum diminuta ſit apud *clericos* tam diu, quam diu haud fuerint conuerſi. vid. GONZALEZ. *ad c. 54. X. de teſtib. n. 2.* Tollitur hæc macula per emendationem vitæ ſeu *conuerſionem*, vt in *cit. c.* dicitur, efficitque, vt inter honeſtos reputandi ſint. Sic in *Concil. Tolet. XVI. de anno 693. c. 1.* apud HARDVIN. *tom. III. concil. p. 1794.* de conuerſis ita dicitur: *id æquitatis ordo depoſcit, vt qui fide Chriſti decorantur, coram hominibus nobiles atque honorabiles habeantur.* In *Concil. Baſileenſi cit. l.* hoc vlterius extenſum his verbis: *& quoniam per gratiam baptiſmi ciues ſanctorum & domeſtici Dei efficiuntur, longeque dignius ſit regenerari ſpiritu, quam naſci carne, hac edictali lege ſtatuimus, vt ciuitatum & locorum, in quibus ſacro baptiſmate regenerantur, priuilegiis, libertatibus & immunitatibus gaudeant, quæ ratione duntaxat natiuitatis & originis alii conſequuntur.* Inde mouit RICCIVLLVS *tr. de Neophyt. cap. 8.* hanc quæſtionem: *vtrum neophyti debeant cenſeri inter*

Omnis macula per conuerſionem tollitur.

& conuerſi inter hone-

ſtos referuntur

ter nobiles an vero ignobiles? cenſetque *n. 3.* eos, ſi nobiliter viuant, accipere nobilitatis gradum primum, ex hoc lepido argumento, quod ſicuti plebeius a ſenatore adoptatus conſequatur nobilitatem, adeo vt dicatur filius ſenatoris, ita multo magis ſufficere debeat baptiſmus, qui illum facit Chriſti filium. Hic merito dici poſſet: *ſi tacuiſſes, philoſophus manſiſſes.* Sed infinitæ eiusmodi argumentationes vbiuis fere in huius ſortis ſcriptoribus obuiæ ſunt; ex quibus non potuere non infiniti propullulare errores. Id facile admiſerim, poſt conuerſionem infideles ad *collegia opificum*, aliasque *dignitates* adipiſcendas habiles fieri, a quibus ante conuerſionem ob ſtatum quodammodo inquinatum erant excluſi: Quin etiam hoc æquum eſt, vt a cenſu aliisque exactionibus, quibus iudæi ſubiecti ſunt, poſt conuerſionem liberentur, quod etiam *Concil. Tolet. XVI. cit. l.* conſtituit: aſt vt præterea ſingularem dignitatis ſtatum conſequantur ex ſola conuerſione, nulla euincit ratio. Equidem a quibusdam in dubium vocatum fuit, teſte RICCIVLLO *de neoph. c. 5.* vtrum conuerſi etiam ad publica officia promoueri poſſint? Recenter conuerſos ægre admittendos eſſe iudicat, 1) quod talibus committere officia publica, res periculi plena ſit; 2) quod de probitate vitæ conuerſi non ſatis conſtet, adeo vt nequidem exiſtimandus ſit integræ fidei aduerſus fidelem, ſed a teſtimonio repellendus ſit. Qui autem iam dudum baptizati, & inter Chriſtianorum conſortia bene verſati ſunt, eos rectiſſime ad munia publica admoueri poſſe ſtatuit *cit. l. n. 9. ſeqq.* Equidem de *officiis ſacris* hic non eſt quæſtio, a quibus vtplurimum *neophyti* repelluntur, vt *in f. c. II. ſect. præc.* dixi. De officiis *ſecularibus* nulla quidem occurrit legis prohibitio, non tamen confundi debent regulæ *prudentiæ* cum *regulis iuris.* Hæ conuerſio non amplius reſiſtunt, ſæpe illæ, non quod neophyti, ſed quod plerumque inhabiles ſint infideles, & imprimis iudæi, quibus officia publica commendari poſſint. Ita enim, teſte experientia, inſtituuntur iudæi, vt rarius partes reipublicæ illis concredi poſſint,

ad dignitates admittuntur

Sæpe tamen inepti ſunt ad officia publica.

ſint, quæ non niſi optime inſtructos, & variis ſcientiarum doctrinis imbutos admittunt. Pro captu ergo eorum ſtatuendum, quænam eis committi poſſint munia. Rationes Ricciullianæ admodum ieiunæ ſunt, oſtenduntque, ſæpe minus firmatos in fide Chriſtiana, rudes & inermes admitti ad baptiſmum, antequam de ſincera eorum conuerſione ſatis conſtet. Hoc præcauendum, id quod ſi fit, nihil impedit, quo minus, quatenus alias habiles ſunt, muneribus publicis præfici queant.

§. VI. Rarius tamen conuerſis hodie de idoneis vitæ ſubſidiis, nec de commodo vitæ genere proſpici, experientia teſtatur. Plerique, poſtquam conuerſi eſſe dicuntur, otio tempus conſumere, & eleemoſynas colligere coguntur, cum nec quæſtui, cui ante conuerſionem more iudaico dediti erant, amplius incumbere debeant, nec aliud vitæ genus eligere poſſint, ad quod vel inidonei cenſentur, vel quod ipſimet ob pigritiem eligere recuſant. Hinc teſtimoniis conuertentium ampliſſimis præditi dimittuntur, quibus de ciuitate in ciuitatem ambulant, & mendicantes aliis graues ſunt, putantes, ſe iam priuilegium libere mendicandi, & otioſam agendi vitam nactos fuiſſe. Etiam hoc ipſum inter næuos & impedimenta, quibus conuerſio infidelium ſiſtitur, referendum, quod imperantes ſummi, quibus cura conuertendi infideles incumbit, huc ſollicitudinem ſuam haud dirigant, vt *conuerſi* mox poſt conuerſionem eo adigantur, vt idoneum vitæ genus eligant, & ad id ſtatim præparentur. Dantur vbique infinita vitæ genera, ad quæ facile applicari & præparari poſſent, ſi maiori prouidentia & ſolertia id illi, quorum res eſt, agerent, & collegia certa inſtituerent, quæ conuertendorum vel conuerſorum curam gererent. Quamdiu id negligitur, non alios, quam otioſos & deſides recipimus conuerſos, qui non raro tandem furum ſocietati ſeſe adiungunt, & ſub prætextu *conuerſionis* deteriores redduntur, vel rurſus ad prius lutum reuertuntur. Equidem *in Concil. Baſil. ſeſſ. XIX. c. 6.* ita cautum: *Ipſi quoque*

Notatur defectus communis quod rarius conuerſis de idoneo vitæ genere proſpiciatur.

diœceſani non ſolum Chriſtianos ad ſubueniendum illis adhortentur; ſed tam de reditibus eccleſiarum, prout poterunt, quam de his, quæ ad pauperum vſus per ipſos conuertenda deuoluuntur huiusmodi Neophytos ſuſtentare non negligant; nec negandum eſt, hoc praxi primitiuæ eccleſiæ admodum conforme eſſe, qui inprimis pauperum conuerſorum curam habuere, & cauerunt, vt ex penu eccleſiæ alerentur, *Act. VI, 1. ſeqq.* quorum exemplum etiam ſupra *Sect. I. c. 2. §. 11. p. 86.* commendaui. Verum hæc miſericordiæ opera tantum *pietatis ſubſidia* eſſe debebant, illis potiſſimum indulgenda, qui aliunde ſe ſuſtentare nequeunt; iis vero deneganda, qui laborare, vel idoneum vitæ genus eligere, cum poſſent, recuſant. Hæc tamen hodie vix amplius recuſari poſſunt, poſtquam in plerisque rebus publicis deſunt ordinationes idoneæ, quibus conuerſis proſpicitur.

Inde alicubi domus conuerſorum erectæ, in quibus aluntur.

§. VII. HENRICVS III. Rex Angliæ anno 1234. teſte MATTHAEO PARIS. in *hiſt. Angl. ad cit. ann. p. 332.* ex more illorum temporum, quo tot monaſteria *pro redemtione animæ* ædificabantur, intra eiusmodi clauſtrum colligendos, & publice alendos conuerſos eſſe cenſuit, *domumque conuerſorum* Londini conſtituit, *ad quam confugientes iudæi conuerſi, relicta iudaiſmi coecitate, ſub quadam honeſta viuendi regula, certum haberent in vita ſua domicilium, tutum refugium, & ſufficiens vitæ ſuſtamentum, ſine ſeruili labore, & fœnoris emolumento. Vnde factum eſt, quod in breui congregatus eſt ibidem conuerſorum numerus copioſus, & ibidem baptizati & Chriſtianorum lege inſtructi viuant laudabiliter, perito rectore ad hoc ſpecialiter deputato gubernati.* Obſeruat præterea CANGIVS in *gloſſar. voc. conuerſi* ex PRYNNEO *in libert. eccl. Angl. tom. III. p. 835.* Reges primo conuerſis victum & amictum contuliſſe; verum cum iis impenſis ob ingruentia bella ſufficere minus poſſent, eorumque numerus ſat magnus eſſet, in abbatias & monaſteria ſingulatim illos amandabant, a quibus ad victum neceſſaria perciperent. Hæc cura pro *conuerſis* non improbanda penitus;

tus; ad minimum oſtendit, olim haud ita poſt conuerſionem derelictos fuiſſe, vt quidem hodie. Quemadmodum vero circa vitam eiusmodi monaſticam plura monenda ſunt, præcauendumque, ne his, qui *otii* gratia ad fidem noſtram prouolant, aſylum præbeamus, ita tutiora facilius inſtituta in rebus publicis adornari poſſent, quæ conuerſos ad tale vitæ genus elegendum, vnde ſe ſuosque alere poſſent, inducere poſſent, quod modis omnibus his, quorum res eſt, commendamus.

§. VIII. Præterea conuerſioni hunc effectum tribuunt, quod filios ad fidem Chriſtianorum tranſeuntes a patria poteſtate liberet, quia per baptiſmum homo dicitur fieri noua creatura. FERMOSIN. *ad c. 5. X. de iud. qu. 5. n. 3. & 4.* MARQVARDVS de SVSANNIS *de iudæis & aliis infidel. P. 3. c. 4. n. 8.* RICCIVLLVS *lib. II. de iur. perſon. extra grem. eccl. exiſt. c. 29. n. 5.* Ratio adducta admodum ieiuna eſt; magis concludit, quam adfert RICCIVLLVS *cit. l. n. 6.* quod Chriſtianus non debeat eſſe ſubiectus poteſtati illius, de quo ſuſpicio eſſe poteſt, quod illum ad infidelitatis errorem deducturus ſit. Verum hæc ſuſpicio per ſe non tollit patriam poteſtatem in totum, ſed tantum efficit, ne ad exhibendos liberos agere pater poſſit; proinde ſicuti ob *nequitiam patris* conſtitui poteſt, vt *ſine diminutione patriæ poteſtatis* apud alium filius moretur, *l. 3. §. 5. D. de liber. exhib.* ita quoque idem in hoc caſu recte per magiſtratum decernitur, vt tamen filius conuerſus non ſtatim *ſui iuris* fiat. Quodſi præterea pater infidelis filio inſidias ſtruat, & variis peſſimis machinationibus, vt fieri ſolet, ipſi moleſtus ſit, *maleque contra pietatem filium adficiat*, tunc demum recte cogi poteſt pater ad filium emancipandum, *l. f. D. ſi a parent. quis manum.* quia abuſus patriæ poteſtatis merito omne ius patri in filium adimit. Reliqua iura, quæ alias liberis debentur, etiam conuerſis ſalua manent, veluti quod illis debeantur alimenta, filiæ dos, ſucceſſio ab inteſtato, & quod ob conuerſionem exheredari a patre non poſſint, & quæ ſunt alia, quæ non

An liberi conuerſi a patria poteſtate ſint liberati?

adeo dubitationem recipiunt, vid. BARBOSA *ad c. 5. X. de iud. n. 3. ſeq.*

An conuerſis ſtatim a parentibus viuentibus debeatur legitima.

§. IX. Huic ſimilis fabula eſt, quod liberis conuerſis debeatur ſtatim legitima a parentibus viuentibus, cum alias legitima viuentis non detur. BERL. *P. III. Concl. 14. n. 31.* Addit CARPZ. *P. III. C. 12. def. 12.* hanc rationem, quod iuſte metuendum ſit, ne pater omnem ſuam ſubſtantiam in odium filii conuerſi alienet, & ita hoc modo eum debita portione defraudet, quod etiam approbant RICCIVLLVS *cit. l. n. 13.* DIETERICH *de iur. & ſtatu iudæor. in republ. Chriſtian. p. 145.* aliique plures a BERLICHIO *cit. l.* allegati. Verum nulla ſolida iuris ratione hæc ſententia defendi poterit, vt recte cenſuit Ill Dn. THOMAS. *diſſ. de legitima viu. c. 1. §. 7. ſeqq.* Qui ius hoc ſingulare fingunt, fere vnice *odio infidelium* ducuntur, ſine legum aſſiſtentia, absque quibus tamen *ius ſingulare* conſtitui non poteſt. Fraudis conſilium, quod a patre infideli imminere creditur, liberis nullum ius tribuit, petendi a patre viuente legitimam; ſed tantum ſufficit, quod poſt mortem parentum iis ius competat reuocandi hæc bona in fraudem legitimæ alienata. *l. f. D. ſi quid in fraud. patroni.* Poteſt pater in fraudem legitimæ multa facere, etiamſi liberi religionem haud mutauerint, nec tamen ea de cauſa liberis conceſſum eſt, ob eiusmodi ſuſpicionem ſtatim a patre adhuc viuente legitimam petere, ſed demum poſt eius mortem querela inofficioſi agere.

Pœna per conuerſionem non tollitur.

§. X. Adhuc fauorabilior eſt effectus conuerſionis, quem nonnulli fingunt, quod ob delicta ante conuerſionem commiſſa puniri non poſſit conuerſus. IVL. CLARVS *§. fin. qu. 51. n. 19.* aliique a TIRAQVELLO *de pœn. temper. vel remitt. c. 25. n. 2.* laudati. In hunc errorem incidiſſe videntur, quod legerint, per baptiſmum *crimina dimitti*, vt in *c. 3. D. 26.* dicitur, & repetit Pontifex in *c. 9. X. de diuort.* conuerſo tanquam *nouo homini*, nec ſtupra, nec alia, quæ ante fuerunt, imputari, nec ei obeſſe, vt ait HIERONYMVS in

in *c. 1. D. 26.* in baptiſmo relaxari quod culpæ eſt, *c. 4. D. 26.* totum aboleri id, quod ante baptiſmum peccatum, & velut non factum fuerit, haberi. *c. 2. de conſecr. D. 4.* & quæ ſunt aliæ huius generis formulæ in conciliorum decretis & Patrum ſcriptis vſitatiſſimæ. Verum quis non animaduertit, hic aperte *effectum ſpiritualem*, quem conuerſioni tribuit S. ſcriptura, trahi ad *forum ciuile*, & a remiſſione peccatorum a Deo facta argumentum duci ad remiſſionem pœnæ criminalis. Peſſimi latrones, qui vniuerſo generi humano fere bellum indixere, ſæpe hodie ad atrociſſimum ſupplicium trahuntur, ſeriamque pœnitentiam agunt, reueraque conuertuntur: quis vero aſſereret, remiſſionem pœnæ criminalis ſequi poſt remiſſionem peccatorum peracta ſedulo pœnitentia? Ipſe TIRAQVELLVS *cit. l.* quamuis alias multa ſine iudicio colligere, & defendere ſoleat, non tamen potuit adduci, vt eundem errorem cum ceteris erraret, ſed ingenue fatetur, adductos textus, ad quos prouocare ſolent, ad *forum pœnitentiale*, vt loquuntur, pertinere.

§. XI. Iudæi ſimilem, meo iudicio, errorem commiſere. Notum eſt, quod qui ex gentilibus in fœdus diuinum recipiebantur per baptiſmum, circumciſionem & oblationem, numero proſelytorum inſerentur. Baptiſmum Rabbini *regenerationem* dicunt, voluntque proſelytum velut *infantem recens natum* habendum eſſe, omnemque eius cognationem priſtinam in ipſo baptiſmo euanuiſſe, ſeu deſiiſſe, vt ethnicis ad iudaiſmum deductis ſororum matrumque matrimonio vti liceret. SELDENVS *lib. I. de ſynedr. c. 2.* BASNAGE *tom. I. annal. ad ann. 29. §. 13.* Tam late *regenerationis* effectum, qui *ſpiritualis* eſſe debebat, extendebant, & ſic quoque, meo iudicio, ex eadem ratione pœnas criminum antea commiſſorum tolli exiſtimare debuere. Verum hæc craſſior & carnalis philoſophia a Chriſtianis merito abeſſe debet. Iudæorum error circa proſelytos.

§. XII. Sed etiam hunc effectum GRATIANVS in *c. 4. D. 52.* conuerſioni adſcribit, quod conuerſus poſt baptiſmum An conuerſus militare posſit?

mum

94-14

mum contra fideles militare haud poſſit. Probat id ipſum ex *Concil. Toletano I. c. 8.* anno 400. celebrato, vbi ita: *Si quis poſt baptiſmum militauerit, & chlamidem ſumſerit, aut cingulum ad necandos fideles, etiamſi grauia non admiſerit, ſi ad clerum admiſſus fuerit, diaconi non accipiat dignitatem.* Apud HARDVIN. *tom. I. concil. p. 991.* deſunt verba hæc: *ad necandos fideles*, & ſine dubio ab imperio quodam, quem GRATIANVS ſecutus, adiecta, qui mentem Toletanorum hoc modo eruere, & clarius exprimere voluiſſe videtur. Militiam conuerſis haud interdicunt, ſed ad eum effectum tantummodo ei limites ponunt, ne ad ordines ſacros admitti poſſet, qui poſt baptiſmum miles factus erat. Irregularitatem quandam ei adhærere credebant Patres Toletani, quam ſanguinis humani effuſio conciliabat, ſi quis vel maxime ei tantum intereſſet; proinde hunc effectum reſpuo reiicioque.

An conuerſi habeant priuilegia miſerabilium perſonarum.

§. XIII. Vltimo loco etiam non omittendum, quod conuerſis priuilegia *miſerabilium perſonarum* tribuant, eo quod ipſimet, inter *miſerabiles perſonas* referendi ſint. DIEDERICVS *de iure & ſtat. iud. in republ. Chriſt. p. 144.* Sed non aliunde ſententiam ſuam probat, quam autoritate FELINI & REBVFFI, quorum ſomnia ſine legibus non ſequor. Poſſunt eſſe *miſerabiles*, propterea quod ſint orphani, quod in ſumma egeſtate viuant. Sed qua *conuerſi* tales non ſunt, in ſenſu iuris ciuilis, cum etiam bonis abundantes fidem Chriſtianam recipere poſſint. Ad plures alios effectus, qui ab interpretibus traduntur, non excurro, qui ita comparati ſunt, vt ſedulo iudicio ponderati facile diiudicari poſſint, ſed potius meditationi huic, quæ fere vltra limites excreuit, tandem finem impono.

J726
B669 D

Coll 8/XI/192
DMS/PRBAM
c/cf, 150p